


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ln
1
15



Ln 1, 15.



75 cts

BOUGHT WITH


THE GIFT OF

WILLIAM GRAY,

OF BOSTON, MASS.

(Class of 1829).

Nov. 15, 1861.







CN. NAEVII

POETAE ROMANI

VITAM DESCRIPSIT, CARMINUM RELIQUIAS COLLEGIT, POESIS RATIONEM

EXPOSUIT

ERNESTUS KLUSSMANN

OSNABRUGENSIS.

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον·
Πολλοὶ ἀπείρητοι δόξαν ἔχουσ' ἀγαθῶν.

Theogn. Sentent. 571 et 572.

IENAE

PROSTAT APUD CAROLUM HOCHHAUSEN.

MDCCCXLIII.

Ln1.15

75 cts.

1861, Nov. 15.
Gray Fund.

BERNH. RUD. ABEKEN

GYMNASII OSNABRUGENSIS SENATORII RECTORI ET PROFESSORI

VIRO ERUDITISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO

PATRIS INSTAR SUMMA CUM PIETATE COLENDO

D. D. D.

EDITOR.

L. B.

Cum ante viginti tres hos menses infirmo mihi nec opinanti de carissimi patris morte nuntius afferretur, mox gravissima hac clade perculsum et de vita periclitantem a mortis limine in vitam revocasset medici mei ars, vitam orbatam nullam esse coepi putare. Nam si Solem e mundo tollere dicuntur, qui amicitiam tollunt, cum Sole omnia etiam vitae solatia Tu, cujus pios Manes revereor, tecum abstulisse videbare. Sed a dolore ad vitam agendam, a luctu ad literas me revocarunt parentes et amicissimi quique. Itaque, cum multa haberem de vetere poësi Romana conscripta et excogitata, Naevii poëtae vitam et carmina illustranda mihi sumsi, quibus dolor recens distraheretur. Non speraveram quidem fore, ut opera mea hac in re posita tanta frueretur VV. DD. et indulgentia et applausu. Quod si minus evenisset, nescio, an ea, quae nec ab ingenio nec a doctrina commendationem magnam habere sentio, in lucem edere et VV. DD. judiciis exponere ausus fuerim. At, ut cum Martiale (Epigr. I. 17) loquar, bona, mediocria quaedam, mala plura hic legi persuasum mihi habebam, qua in re num spes mea me fefellerit, VV. DD. dijudicent. Quodsi viris literatis non omnino displicuerint haece studiorum meorum primitiae, Livii quoque Andronici, Ennii aliorum fragmenta componendi et illustrandi consilium mihi est. Nisi injustitiam censorum non reformido.

Pauca tantum addam, ne negligentiae me incusent, quicunque libellum meum non indignum habebunt, qui diligentius perlustretur. Fragmenta Naeviana ita scripsi, ut apud scriptores fide dignos inveni, consen-



CN. NAEVII

POETAE ROMANI

VITAM DESCRIPSIT, CARMINUM RELIQUIAS COLLEGIT, POESIS RATIONEM

EXPOSUIT

ERNESTUS KLUSSMANN

OSNABRUGENSIS.

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον·
Πολλοὶ ἀπείρητοι δόξαν ἔχουσ' ἀγαθῶν.

Theogn. Sentent. 571 et 572.

VIENAE

PROSTAT APUD CAROLUM HOCHHAUSEN.

MDCCCXLIII.

dis pollicem rodentes, sed qui, vitae publicae undis et fluctibus conquassati et bellica laude fere onusti, quod sentiebant, id non temporis fallendi aut imperatoris Maecenatisve aures mulcendi causa, verum in usum et laudem reipublicae literis credebant; qui ea, quae composuerant, non emittebant, quod placere ea et collaudari quodque iis evehi et praediis donari vellent, sed, modo utilia reipublicae viderentur, ne tum quidem in scriniis premebant, cum emissorum librorum poena proposita essent carceris vincula exiliumve. Itaque, cum illud minime negari liceat, Ciceronis illam et Virgilii aetatem aureum esse linguae Romanae saeculum, hoc tamen quin mordicus teneam facere non possum, ut ingenii Romani, ita etiam poesis gravitatem et ingenuam naturam belli Punici secundi temporibus floruisse. Nam Ennius ille, ad quem Romanarum literarum initium referre solent quicunque elegantem Romanorum poetarum dictionem adamant et suspiciunt, ipse ille Ennius poesin vere Romanam perdidit. Quippe ante Livium et Naevium multa jam exstitisse Romanae poesis specimina, post doctas Niebuhrii, Zellii [1]) et Krausii [2]) expositiones nemo in dubium vocabit, quamquam cupidiores esse videntur, qui justum quoddam epos iis jam temporibus fuisse asseverant [3]). Noli vero ea, quae de Ennio professi sumus, ita dicta putare, ut poetam, quidquid Romanis in hoc literarum genere fuit grave et magnum, id omnino evertisse contendamus; sed in novis et externis inferendis, summorum virorum humeris nisus, id effecit, ut post expulsum mortuumque summum, de quo infra agetur, virum vere Romanum, qui unus tanto, quanto Ennius erat, ingenio par esset, quicunque obniti non poterat, uno fortasse Lucilio excepto, colere mallet, quae inde ab Ennio a plurimis amari intelligeret, quam ad ea recurrere, quae pro abolitis haberentur. Ut enim post finitum ingens illud bellum Romana ingenia ad externos mores deficiebant, elegantiores illos et urbaniores, sed luxuriosos et molles, ita externae etiam literae irruerunt, quae, perfectiores sine dubio

---

1) *Ferienschriften, zweite Sammlung pag.* 99. *sqq.* 2) *Roem. Literaturgeschichte pag.* 33. *sqq.* 3) *Regel divers. de re trag. Romanorum judicia pag.* 19. *Schuette. de Cn. Naevio poeta dag.* 25. *sqq.*

rudibus illis Romanae poesis initiis, suspici et ad imitandum proponi solebant. Quae quam vera sint, nemo Niebuhrio planius perspexit, qui [1]) subsevere quidem, vere tamen de Ennio ita judicat: *er, der ernsthaft glaubte, Roms erster Dichter zu seyn, weil er die alte einheimische Poesie ignorirte, verachtete und mit Erfolg unterdrückte* [2]) ect. Quae quidem causae fuerint, cur Ennius Romanas literas tam facile reprimere in earumque locum Graecas substituere potuerit, hujus loci non est exponere. Illud autem sine dubio multum in Ennii rem valuit, cum quod primores praecipue reipublicae Romanae literas colere solebant, tum quod mortuo, ut dixi, Naevio nullus erat poeta, qui Ennii graecissantis conatus repellere posset. Vix dici potest, quantopere doluerim, summum hunc virum incultum fere adhuc jacuisse, neminemque satis perspectum habuisse, quam verum illud fuerit, quod de se ipso vaticinatus est, post suam mortem Romanos oblituros esse *loquier Latina lingua* [3]). Tanto magis ipse gavisus sum, quod mihi, qui ea Romanorum carmina, quae adolescentibus nota esse et tanquam exempla proponi solent, haud nimis admirari solitus essem, quippe quae Romanam gravitatem et vim spirare maximam partem non viderentur, data est occasio in veterem Romanorum poesin pro virili parte inquirendi et, quae vere Romana sit, cognoscendi. Naevii autem laudes et virtutes magis sensisse me, quam penitus perspexisse, nemini (id saltem quovis pignore affirmare licet) magis quam ipsi mihi persuasum esse potest. Nam, ut cum Caecina apud Ciceronem [4]) loquar: *adolescens sum; omnia excogitare vel studio, vel aetate, vel metu non possum;* neque ipsa tempora, in quae hoc studium meum incidit, secunda dicere possum, ut quae animum retraherent magis a consilio proposito, quam ad id revocarent.

---

1) *Roem. Gesch.* I. *p.* 289. 2) *cf. Blum. Einleit. in Roms alte Geschichte pag.* 51. *et* 181. 3) *Gellius* I. 19. 2. 4) *ad Famil.* VI. 7.

Liber primus.

Cn. Naevii Vita.

De adumbranda poetae vita multi meruerunt viri, e quibus equidem eos tantum afferam, quorum libris usus sum:

Lilius Gyraldus: de poetis historicis. Basileae 1580. II. pag. 299.

Is. Vossius: de historicis Latinis. Lugd. Bat. 1651. pag. 6. sqq.

Sagittarius: de vita et scriptis Livii, Andronici, Naevii, Ennii, Caecilii Statii ect. Altenburgi 1672.

Crinitus: de poetis Latinis. cap. I.

Funccius: de adolescentia linguae Latinae. Marburgi 1723. pag. 65 sqq.

G. E. Mueller: historisch-kritische Einleitung zu nöthiger Kenntniss und nützlichem Gebrauche der alten lateinischen Schriftsteller. Dresden 1747—1751. I. pag. 230.

Koepke: Einleitung in M. Accius Plautus' *Lustspiele. I.* pag. LI.

Ph. Chr. Harles: introductio in notitiam literaturae Romanae. Lipsiae 1794.

E. S(pangenberg): Ennii Annalium Fragmenta. Lipsiae 1825. pag. 185.

Blum: Einleitung in Rom's alte Geschichte. Berlin 1828. pag. 20 sqq.

Bernhardy: Grundriss der Römischen Literatur. Halle 1830.

Baehr: Geschichte der Römischen Literatur. Karlsruhe 1832. 2 *Aufl.*

G. Regel: diversa virorum doctorum de re tragica Romanorum judicia sub examen vocata. Gottingae 1835. pag. 39 not. 31.

Schuette: de Cnaeo Naevio poeta. Herbipoli 1841. Particula prima.

Cn. Naevius num Sangae cognomen habuerit, subdubium mihi est, quamvis P. Merula [1]) in Calpurnii Pisonis sui de veterum poetarum continentia libro haec se legisse affirmet: *Cn. Sanga libro IV. de bello Punico primo*; incerta enim fide Merulam esse imprimis in iis, quae ex libro isto addit, M. Hoch [2]) demonstrare nuper coepit. Itaque cum nullus praeter Merulae Pisonem scriptor hoc Naevii cognomen memoret, Naevium cognomine carere malo, quam propter mera, si Diis placet, Merulae commenta Sangae ei indere cognomen [3]). Quid? quod nec ante nec post Merulam Pisonis istius quisquam vidit librum. Sed accedit, quod, quantum equidem memini, nemo veterum Sangae nomen ante Terentium [4]) attulit, cujus tamen fabula Eunuchus e duplici Graeca Menandri fabula composita est, unde Sangae nomen, ut centurionis barbari, aut barbarum, nisi Graecum, aut certe Romanum nullum fuisse, concluditur. Nam Romanum illud nomen non fuisse, e Donati ad Terentium commentariis [5]) colligitur, ubi haec leguntur: „*Sanga*: nec *Sangarius* saltem, ut nomen esset.“ Atqui si Sangae cognomen poetae fuisset, aut externum hominem, aut servum Naevium esse appareret, quem Romanum fuisse infra demonstrabimus. Satis igitur superque habeo memorasse, quo audaciae progressus sit Merula, qui locum a Nonio [6]) servatum: *Naevius: sane a suo fulgure claro fulgurivit Jupiter* ita mutandum censuit, ut eo etiam Sangae cognomen comprobetur: *Naevius Sanga: suo sonitu claro etc.*

Natum in Campanis Naevium esse, quicunque de ejus vita scripserunt, e verbis *Gellii* [7]) conjecisse videntur: *Epigramma Naevii plenum superbiae Campanae.* Sed Campana plenus superbia nonne etiam Romanus homo esse potest, cum ipsa Campanorum illa insolentia in proverbium abierit [8])? Quid? quod

---

1) *ad Ennii Fragm. pag.* 46. 2) *de Ennianorum Annalium fragmentis a Paulo Merula auctis. Bonnae* 1839. 3) *Osann analect. crit. pag.* 23. 4) *Eunuch.* IV. 7. 6. 5) *l. l. Romanorum unus Q. Fabius, Allobrogici filius, Sangae cognomentum habet (Drumann's Gesch. Rom's V,* 486.), *quod Gallicum esse conjicio, Fabio propter patronatum inditum (Drumann l. l.* 485). *Idem sensisse videtur Donatus; Sangarius enim Galatiae fluvius est (Strabo pag.* 543 *et* 563 *Cas.).* 6) *s. v. fulgurivit; fragm. incert. trag.* 9. 7) I. 24. 2. 8) *Cicer. in Rull.* II. 33.; *Zell, Ferienschriften* II. *pag.* 44; *Koepke, in Zeitschr. für Alterthumswissensch.* 1835. *pag.* 1235 *not.* 1.

Blumius [1]) hoc in fundamento exstruxit conjecturam illam de studio singulari, quo Naevius in carmine Punici belli Romanorum cum Samnitibus certamen cecinerit, quo finito patriam Campanam Romanorum factam esse gavisus sit — quae conjectura quam sit nihili, infra demonstrabimus [2]). At alia etiam argumenta Schuettius [3]) attulit, e quibus apparere credit, veram esse eam, quam et ipse amplectitur, Baehrii sententiam, fuisse Naevium *einen gebohrenen Griechen aus Campanien*. Sed, ut, quod sentiam, libere profitear, nec Schuettii argumenta ita comparata sunt, ut rem acu tangant. De fragmentis enim fabularum et de ea, quae tum Romae erat, literarum conditione quae dicit, vellem aut ita exposuisset, ut, quod de fragmentis ejus esset judicium, pateret, aut meminisset, quae de literarum eo tempore Romae statu viri doctissimi disputarunt, quorum testimonia apud Regelium [4]) collecta inveniuntur. Ut enim imitatus sit Naevius Graecas literas, tamen non sequitur inde, Graecum poetam, ut Ennium, aut semigraecum, ut Livium, fuisse. Sed levissimum hoc esse argumentum, ipse largitur Schuettius. Sub examen vocemus, quae addit. Refert autem de imagine Naevii, cui inscriptum sit: *Cn. Nevius Cap.*, quae tamen ubi reperiatur aut unde in suam cognitionem venerit, addere supersedit; quamquam neque ipsi Schuettio eam ante oculos fuisse inde conjicio, quod haec de ea adnotat [5]): *cujus imaginis inscriptioni quantam auctoritatem tribuere possimus, quum nusquam alibi memoratam aut descriptam invenissem, non audeo dijudicare.* Est haec quoque res Merulae Pisoni similis. Sed ex scriptura nominis Naevii, quam et ipse Schuettius eo tantum tueri potest, quod seculo XIV—XVI *Nevium* pro *Naevio* exarare solebant, apparet, statuam hanc, si quae fuit, aut Nevium aliquem, non Naevium indicare, aut ante duo vel quatuor abhinc saecula inscriptum imagini esse Naevii nomen (nam positam tum statuam quis existimet?). Quanti autem, quaeso, argumentum est, e judicio, quod homines tum viventes, quos et ipsos in Gellii loco explicando falli potuisse et falsos esse constat, de Naevii poetae pa-

---

1) *l. l. pag.* 26. *et* 35. 2) *fragm. Punic. bell.* II. 14; III. 7. *Hopfensack's Staatsrecht der Unterthanen der Römer pag.* 63. *not.* 92. 3) *l. l. pag.* 8 *sqq.* 4) *l. l. pag.* 20 *sqq.* 5) *pag.* 8. *not.*

tria tulerunt, depromtum? Accedit, quod, Capuae urbis incolas *Campanos* esse dictos, neminem fugit [1]; nam de linea superinducta nihil monet Schuettius. Sed fac, hanc esse inscriptionem *Cn. Naevius Campus* [2]) vel *Campanus*, e causis tamen praemissis ita censeo, statuae illi a viro docto seculi XV. aut XVI Campano, seducto illo per Gellii locum supra laudatum, ut patriae gloria augeretur, nomen Naevii inscriptum esse -- quam sententiam ita amplectitur *Schuettius*, ut hujus, si diis placet, docti viri judicio suam rem probare studeat, quod apparet quam sit viro critico indignum. Itaque cum haec Schuettii argumenta fragilissima sunt neque quidquam probant, tum tertium, quod affert, contrarium eorum, quae inde concludit comprobat. Cicero [3]) enim: *qua re*, ait, *cum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum: hanc sequamur, neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. Equidem cum audio socrum meam Laeliam* (verba sunt Crassi) — *facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod, multorum sermonis experles, ea tenent semper, quae prima didicerunt — sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire; sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis affere videatur; ex quo sic locutum ejus patrem judico, sic majores*, quo loco non sine justa causa Livium, Ennium et Terentium omissos esse dicit Schuettius, quod illi non a pueris Latine loqui consuessent, sed postea, cum Osce aut Graece loquerentur, Latinam linguam didicissent, Naevius contra, quippe in Campanis natus, propter frequentem cum Romanis consuetudinem facilius integro Romano sermone usus esset. At non de Latino sermone, sed de Romano, non de rustico, sed de urbano Cicero exponit, de sermone, ut ipse dicit, urbis proprio, quem nec Livius nec Ennius, utpote Graeci et Osci, nec Terentius Afer pure et plane et sine aliqua ostentatione et imitatione loquebantur. Plautum autem praetermittit

1) *Drakenborch ad Liv.* VII. 30. 21; *Gronov. ad Liv.* XXVII. 3. 1. 2) *Serv. ad Virgil. Aen.* X. 145. 3) *de orat.* III. 12. 44. *et* 45.

Schuettius, quamquam is docere eum poterat, quam contorte Ciceronis locum explicaverit; Umbri enim in quibus erat natus, Umbrice loquebantur, unde Plautum quoque omitteret Cicero necesse erat. Sed e Ciceronis his verbis colligi potest, et Plautum mature Romam migrasse itaque Romane a pueris etiam locutum, et Naevium Romae ab infantia versatum, immo Romae natum esse. Quae enim de *barbaro* Naevio apud Terentium narrat, in errore posita sunt, cum non a Terentio, sed ab ipso Plauto [1]) barbarus poeta dicatur, neque hoc nomen dedecori, quemadmodum putat Schuettius, sit [2]). Igitur, ut supra dixi, falsa omnino videntur et e mero errore profecta, quae de Campania, Naevii patria, Viri Docti statuerunt. Traditur enim, in ipso primo Punico bello stipendia Naevium meruisse, quod duplici modo fieri potuit. Si enim civis Romanus erat, in legionibus, si Latinus, in sociis militavit [3]) poeta. Sed hoc etiam in loco, ut in plurimis, qui ad Naevii vitam spectant, omnibus destituti sumus testimoniis. Unde fit, ut verisimilitudinem Academico quodam more sequi nos oporteat. Mihi autem, quemadmodum dixi, Campanus homo Naevius esse non videtur. Romanum autem poetam fuisse, ex eo intelligitur, quod ab omnibus, qui de primis Romanae poesis incrementis verba fecerunt, Livio, ut Graeco, Ennio, ut semigraeco homini, opponitur. [4]) Praeterea eo erat ingenio vere Romano hic vir, ut de patria ejus ne verbum quidem in ejus inveniatur reliquiis, utque nullus scriptor Romanus ejus patriam nominet, cum tamen de Livii, Ennii, Plauti patria diserte scribant. At poterat esse Campanus aut eques, itaque civis Romanus, aut e plebe Campana, et a populo vel plebe Romana, ut a nobilibus Ennius, civitate donari. Sed de hoc ne verbum quidem nec apud ipsum nec apud ceteros scriptores Romanos invenitur, dum Ennius exsultans fere laetitia in ipso Annalium

---

1) *mil. glor.* II. 2. 56. 2) *Paul. Diaconus s. v. barbari pag.* 36. *ed. Mueller. Dorville ad Charit. pag.* 526; *Lindemann ad Plaut. Trinum. prol.* 19. *Duker ad Florum* I. *pag.* 36. II. *pag.* 885. *ed. Lips.* 3) *Hopfensack, Staatsrecht der Unterthanen der Römer pag.* 20. *sqq.* 4) *Duentzer et Lersch de versu Saturnio pag.* 20; *Grauert in Koenii libro Sprache der Römischen Epiker pag.* 266. *et* 290; *adde Sueton. de illustr. gramm.* 2; *Festus pag.* 293. *ed. Mueller.*

libro [1]) Fulvii Nobilioris beneficium in se collatum ita effert:

nos summ' Romani, qui fuvimus ante Rudini.

Neque e mille sexcentorum illorum equitum Campanorum numero fuit, qui civitate Romana augebantur [2]). Erant enim Romae porta illa et nemora Naevia in Aventino, quae inconsiderate Blumius [3]) et Krausius [4]) a poeta nomen traxisse dixerunt. Quamvis enim apud Varronem [5]) legatur: *sequitur porta Naevia, quod in nemoribus (Naevius enim loca, ubi ea) sic dicta,* quae verba sine dubio corrupta ita cum Spengelio, praeeuntibus libris manuscriptis, restituenda arbitror: *sequitur porta Naevia, quod in nemoribus Naeviis* (sc. est) — *Naevii enim loca, ubi ea — sic dicta*: Paulus tamen Diaconus [6]) in iis, quae e Festo excerpsit, de Naevia silva ita disseruit: *Naevia silva dicta juxta urbem, quod Naevi cujusdam fuerit,* quae quin recte excerpta sint, nullus dubito. Quamvis enim ipsius Festi verba in codice Farnesiano admodum mutila sint, bene tamen servata apparent haec: ... *tum, quod Naevi cu*... i. e. sine dubio *cujusdam.* Atqui si celebratum illum poetam Naevium dixisset Festus, non pronomen illud, quod ignotum quendam hominem indicat, addidisset. Ab isto autem ignoto ceterum Naevio nomen cur nemora illa acceperint, memoriae proditum non est. Absurdum autem non videtur, si quis eum eo in loco, ubi antea nullae erant, arbores sevisse dicat, quae in silvam excrescentes ex eo, qui semina posuerat, nomen acceperint. Facile autem credideris, hunc arboribus colendis magnam dedisse operam; nam praeter silvam Naeviam Naevianum etiam pirum laudatur [7]), quod a Naeviis nomen haud dubie accepit, ut Lollianum a Lolliis, Valerianum a Valeriis. Plebejus autem hic etiam homo fuit, quippe in Aventino habitans, qui mons, in quo antiquissimis jam temporibus inde ab Anco Marcio plebs habitaverat [8]),

---

1) XVIII. 12. *ed. Spangenb.* 2) *Hopfensack l. l. pag.* 63; *Goettling's Geschichte der Römischen Staatsverfassung pag.* 404. 3) *l. l. pag.* 32. 4) *l. l. pag.* 120. 5) *de ling. Lat. pag.* 163. *ed. Spengel.* 6) *pag.* 168. *ed. Mueller.* 7) *Macrob. Saturn.* I. *pag.* 379 *ed. Bipont.* 8) *Liv.* I. 33; *Cicer. de Republ.* I. 18.

anno CCXCVIII u. c. secundum legem Iciliam [1]) totus ei tradebatur. Ab hoc Naevio num poeta originem ducat, ambiguus diu haesi, usquedum et Ciceronis locus supra [2]) laudatus et quae apud Eusebium [3]) leguntur, Cn. Naevium poetam cum in Aventino sedem suam habuisse, tum Romae natum esse a parente Romano, probabile mihi reddidit. Cicero enim Laeliam, Crassi socrum, ingenuo sermone Romano locutam esse dicit, cum mulier, multorum sermonum expers, incorruptam antiquitatem facilius conservaverit, indeque concludit, et patrem Laeliae et majores sic locutos fuisse. Comparat autem matronae pronunciationem et sermonem cum sermone Plauti et Naevii. Atqui Plauti patrem et majores, utpote homines Sarsinates, Umbrico, non Romano sermone usos esse constat, unde sequitur, cum Plauto haud bene Ciceronem comparasse Laeliam, nisi Plautus mature Romam venit et sermonem Romanum ingenuum in ipsa urbe a teneris unguibus edoctus est. Itane Naevium etiam peregrinum aut Latinum Romam mature migrasse credis, ut ne pater quidem ejus et majores sermone urbis proprio usi sint? Profecto Romae natum esse poetam a Romano patre apparet. Sed ad causam revertor exponendam, cur a Naevio illo, a quo nemora Naevia nomen acceperunt, oriundum esse poetam arbitrer, quae causa etsi in conjectura, attamen in probali conjectura, posita esse mihi videtur. Loco enim laudato Ennium, a Catone Quaestore Romam translatum [4]), in monte Aventino domicilium habuisse narrat Eusebius [5]). Quaerenti [6]) autem, quae causa Catonem, ut qui ab omnibus Graecis literis abhorreret et provecta demum aetate Graece loqui doceretur [7]), commoverit, ut Ennium, tum sine dubio Graecum poetam, Romam duceret, ita respondendum mihi videtur: Falso Funccius [8]) et Harlesius [9]) Catonem, quod poetae ingenium non perspexisset, Romam eum transtulisse fe-

---

1) *Liv* III. 31; *Dionys*. X. 31 *et* 32; *Diodor*. XII. 4; *Niebuhr R. G.* II. *pag*. 339; *Goettling Gesch. d. Röm. Staatsverf. pag*. 323; *Moser ad Cicer. de Republ*. II, 33. *pag*. 596. 2) *pag*. 9. 3) *Chronic. ad Olymp*. CXXXV. 4) *Corn. Nep. Cat*. I; *Pseudo-Aurelius de vir. illustr*. 47. 5) *cf. Varro l. l.* 6) *Regel l. l. pag*. 42 *not*. 40. 7) *Regel l. l. adde Plutarch. Cat. maj*. 2. 8) *l. l. pag*. 77. 9) *introduct. pag*. 187.

runt, falso Regelius [1]) casu magis, quam quod poeticam ejus indolem cognovisset, Catonem secum duxisse Ennium statuit. Causa haec fuisse videtur. Cato cum toto animo plebis partem foveret, Naevium etiam, quippe qui studio erga plebem flagrans in patricios inveheretur, sine dubio coluit et adamavit; qui quidem cum in exilium anno DXLVIII u. c. missus et anno DL mortuus esset, quo Cato Quaestor Sardiniam obtinebat, Ennium eo ipso anno Romam secum duxit, qui alter quodammodo Naevius esset, quae tamen spes eum fefellit. Hoc ipsum autem consilium in causa erat, cur Ennium etiam in media plebe, in Aventino, habitare vellet. Haec si probabiliter disputata sunt, sequitur, ut Naevium etiam ante Ennium in Aventino sedem suam habuisse statuamus. Rebus ita constitutis, jam Varronis et Festi locos accuratius inspiciamus. Varro enim Naevii, quo nomine quin poetam dicat non dubito, Festus autem, et accuratius quidem, Naevii alicujus ea loca fuisse prodit. Quo autem modo utriusque viri, quorum neutri major fides quam alteri, verba concilianda esse credam, ex iis, quae supra disputavi, apparet. Quippe Festus eum dicit, a quo vere primum nomen illa silva accepit, Varro poetam ab illo oriundum, cujus et ipsius illa loca, hereditate accepta, erant, avo nobiliorem et notiorem. Majorem etiam veritatis speciem haec mea accipit qualiscunque ceterum conjectura eo, quod jam multo ante primum Punicum bellum tempore Naevia illa porta, quam a vicina silva nomen ducere Varro [2]) refert, a scriptoribus memoratur [3]), quippe quae ad Servianam urbis munitionem pertineret [4]). Falsissimus autem est Regelius [5]), qui Attium Naevium augurem documento habet, Naeviam gentem Romae antiquissimam esse; est enim ille *Navius*, non *Naevius*. Haec de patria Naevii sufficient. Quae addi possunt, infra addentur, ne bis easdem res tractem.

De anno, quo natus Naevius sit, nihil memoriae proditum est, ita ut haec res, cum, quo aetatis anno decesserit, aeque nos fugiat, in incerto sit relinquenda. Poetam vero, antequam in exilium mitteretur, senem

---

1) *l. l.* 2) *l. l.* 3) *Livius* II. 11; *Jul. Obsequens* c. 104 *pag.* 260 *ed. Bip.* 4) *Bunsen*, *Beschreibung der Stadt Rom* I. *pag.* 636. 5) *l. l. pag.* 39 *not.* 31.

fuisse, e Ciceronis loco quodam [1]) patet, ubi haec leguntur: *quam gaudebat bello Punico Naevius, quam Truculento Plautus*, e quibus, si locum diligentius inspicis [2]), senem tum Naevium fuisse apparet. Loquitur autem Cicero de Naevio Romae versante, qui anno DIIL in exilium pulsus est. Senem autem virum sexagenarium dicunt, ita ut Naevius ante annum CCCCLXXXVIII u. c. lucem viderit, itaque biennio saltem ante Punicum bellum primum natus sit. Est tamen locus apud eundem Ciceronem [3]), e quo Ennio et Plautum et Naevium natu minores fuisse apparere videtur. Verba haec sunt: *annis fere DX. post Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio Caeci filio, M. Tuditano Consulibus, anno ante natum Ennium, qui fuit major natu quam Plautus et Naevius.* Constat tamen, primam a Livio fabulam datam esse anno u. c. DXIV. [4]), natum igitur Ennium anno DXV., biennio post primum bellum Punicum, in quo Naevius, teste Varrone apud Gellium [5]) stipendia meruerat; nec non multa e Naevii carminibus sumsisse Ennium Cicero [6]) refert, quod, cum post mortuum demum senem Naevium Romam translatus sit Ennius, fieri nisi a juniore non poterat. Quae cum ita sint, non facere non possum cum Vossio [7]), qui in illo Ciceronis loco pronomen relativum non ad Ennium, sed ad Livium respicere censet. Quam constructionem noli tanquam Ciceroni inusitatam rejicere; Cicero enim alibi quoque relativum pronomen non ad nomen proxime praecedens refert [8]). Recte igitur totum locum, quem plurimi Ciceronis interpretes exsecandum judicaverant, vindicavit Osannus [9]). Nihilominus tamen jam Donatus [10]) in hoc loco falli se passus est, Ennium ante Plautum fuisse narrans.

Bello Punico secundo miles stipendia Naevius meruit [11]). Quod cur sub finem demum belli fac-

---

1) *Cato* XIV. 50. 2) *cf. quae infra in prooemio ad carmen de bello Punico disputabimus.* 3) *Tuscul.* I. 2. 4) *Isidor. Orig.* IX. 1; *Osann analect. crit. pag.* 44 *sqq.*; *Munk de fabulis Atellanis pag.* 90. *not.* 240; *Fischer et Soetbeer's Römische Zeittafeln pag.* 79. 5) XVII. 21. 45. 6) *Brut.* 15. 7) *l. l.* I. 2. 8) *in Verrem* III. 33; *de natur. Deor.* I. 23. 65; *Philipp.* I. 5. 12. 9) *l. l. pag.* 40. 10) *ad Terent. Andr. prol.* 17. 11) *fragm. Punic. bell.* VII. 3.

tum esse statuat Krausius [1], nulla causa est. Immo jam in medio bello miles fuisse videtur; quod si minus fuisset, quantilla, quaeso, gloria erat, qua motus esse dicitur, ut in ipso carmine, quod de hoc bello composuerat, stipendiorum suorum meminisset? Sed temporum etiam calculus suadere videtur, ut in medio jam bello tirocinia sua fecisse poetam statuamus. Natus enim Naevius ante annum CDLXXXVIII. u. c. est [2], ita ut anno saltem DIII. u. c. vel anno belli XIV. togam sumere et stipendia facere posset, nisi et ipse [3] ante annum aetatis decimum septimum militiae onera subiit. Falso autem Koepkius [4] in secundo bello Punico poetam meruisse narrat.

Inter Naevii etiam arma siluere Musae. Primam enim fabulam anno DXIX. poetam dedisse, testis est Varro apud Gellium [5]: *anno deinde post Romam conditam quingentesimo undevicesimo Sp. Carvilius Ruga primus Romae de amicorum sententia divortium cum uxore fecit, quod sterila esset jurassetque apud censores, uxorem se liberum quaerendorum causa habere. Eodem anno Cn. Naevius poeta fabulas apud populum dedit* [6]. Varius autem est anni numerus. Idem enim ille Gellius alio loco [7]: *Servius quoque Sulpicius tum primum* (i. e. quingentis post Romam conditam annis) *cautiones rei uxoriae necessarius esse visas scripsit, cum Sp. Carvilius, cui Ruga cognomen fuit, vir nobilis, divortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur, anno urbis conditae DXXIII., M. Atilio, P. Valerio Consulibus.* At M. Atilium Regulum et P. Valerium Flaccum consules anno urbis conditae DXXVII. fuisse, in Fastis consularibus anonymi, fastis Capitolinis, Siculis et apud Cassiodorum legimus. Sed rem magis etiam turbat Attius apud Ciceronem [8], qui post annum DXXXXV. primam a Livio Andronico fabulam editam fuisse dicit, ante quem multas fabulas et Plautus et Naevius docuerint — qui quam falsus sit, argumentis suis evicit Osannus [9]. Anni autem, quo primam Naevius fabu-

---

1) *l. l. pag.* 129. 2) *cf. pag.* 15. 3) *Liv.* XXII. 57. 9; *Serv. ad Virg. Aen.* X. 800. 4) *l. l. pag.* LI. 5) XVII. 21. 44. 6) *Pighii annales ad annum DXIX.* 7) IV. 3. 2. 8) *Brut.* XVII. 73. 9) *anal. crit. pag.* 44 *sqq.*

lum docuit, calculus totus ex eo pendet, quem in annum illud Carvilii ab uxore divortium incidat. In annum DXXVII. hoc incidere non posse, Schuettius[1]) monet, quod disertis verbis a Censoribus Sp. Carvilium jurare coactum esse Gellius memoriae prodiderit, anno autem DXXVII. censores Romae non fuisse e Fastis Capitolinis intelligatur. Sed non diligenter inspexisse videtur hoc Fastos Schuettius, cum in ea, quam ante oculos habeo, editione, a Laurento parata[2]), anni et DXXIII. et DXXVIII. Censores ipsis nominibus additis recenseantur. Iam vero Dionysius Halicarnassensis[3]) de eodem divortio haec memoriae prodidit: *κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐπὶ ταῖς τριάκοντα καὶ ἕκατον Ὀλυμπιάσιν, ὑπατευόντων Μάρκου Πομπωνίου καὶ Γαΐου Παπυρίου, πρῶτος ἀπολῦσαι λέγεται τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα Σπούριος Καρουΐλλιος.* Atqui Consules anni DXXIII. ex aera Varronis (fastos enim Capitolinos aera Catoniana uti constat) in fastis et Capitolinis et Siculis et consularibus et apud Cassiodorum M. Pomponius Matho, C. Papirius Maso laudantur, unde Dionysium, quem Olymp. VII. 1. urbem conditam statuere[4]) neminem fugit, Olymp. CXXXVII. 1 intellexisse patet. Quae cum ita sint, primam a Naevio fabulam anno DXXIII. datam esse statuo. Dissentiunt quidem Valerius Maximus[5]): *repudium inter uxorem et virum a condita urbe usque ad vicesimum et quingentesimum annum nullum intercessit; primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causa dimisit*, et Plutarchus[6]), cujus tamen verba ne dubium quidem quin corrupta sint, cum anni CCCXX. p. u. c. legantur. Sed Valerius Maximus non accurate, sed majoribus tantum numeris usus annum illum indicat. Consentit mecum Goettlingius[7]). Scriptorum autem locos supra laudatos de divortio, non de repudio intelligendos esse, recte monet Schuettius[8]), qui tamen fabulam hoc anno datam comoediam fuisse nimia cum audacia conjicit. Nam ut concedam, quod quidem mihi nondum persuasum esse profiteor nec persuasum iri spero, fabulam, quam Livius dedit primam, comoediam fuisse, de Naevii tamen fabula prima nihil inde concludi potest.

---

1) *l. l. pag.* 14. 2) *pag.* 37. 3) *ant. Rom.* II. 25. 4) *l. l.* I. 71 *et* 74. 5) II. 1. 4. 6) *comp. Lycurg. et Num.* 3. 7) *Röm. Staatsverf. pag.* 99. 8) *l. l. pag.* 14 *not.*; *Niebuhr Röm. Gesch.* III. *pag.* 414. *Rein Röm. Privatrecht pag.* 207 *sqq.*

Quaerit Krausius [1]), sitne verisimile nec ne, Naevium, ut Livium et Ennium [2]), Romae Graecam linguam docuisse. Non docuit, cum civis Romanus esset ingenuus. Sed ne illud quidem certum est, Livium et Ennium Graeca docuisse [3]).

Blumius [4]) primus mirum quoddam et diversum in Naevio et Ennio studium invenit, quo ille plebejam, hic patriciam partem foveret. De Ennio omnia nota. Naevium autem in Scipiones et Metellos, qui tum principes civitatis erant, invectum esse, multi veterum loci testantur [5]). Contra Metellos enim hunc praecipue versum scriptum esse narrant:

fató Metelli Rómae fiunt Cónsules,

contra P. Scipionem Africanum majorem hos [6]):

etiám qui res magnás manu saepe géssit glorióse,
cujus fácta viva núnc vigent, qui apud géntes solus práestat,
eum súus pater cum pállio — ab amíca abduxit úno [7]).

Propter illum autem versum ita Metellus Naevio Saturnio metro minatus est:

dabúnt malum Metélli Naévio poëtae.

Hunc versum ad P. Cornelium Scipionem Africanum majorem pertinere, nec propter eximias, quas ei Naevius praeter probra laudes tribuit, dubium ullum esse potest, et ipse Gellius testatur, qui Scipionem adolescentem fama haud sincera fuisse [8]) dicit, Naevium autem his versibus cum Valerio Antiate sentire, qui, dissentientibus quidem ceteris scriptoribus [9]), φιλογύνην sese Scipionem in Hispania quoque, ubi pulcherrima ista virgo ei adduceretur, exhibuisse memoriae prodiderit. Falsus igitur est Merula [10]), hos versus ad Scipionis Africani majoris patrem pertinere

---

1) *l. l. pag.* 118. 2) *Oudendorp. ad Sueton. de Gramm.* 1 3) *Osann anal. crit. pag.* 19. 4) *l. l. pag.* 20 *sqq.* 5) *Ascon. ad Cicer. Verrin.* I. 10; *Terent. Maur.* v. 2515 *ed. Lachmann; Mar. Victor. pag.* 191 *ed. Gaisf.; Mar. Plot. pag.* 282 *Gaisf.; Atil. Fortunat. pag.* 324. *et* 357 *Gaisf.* 6) *Gellius* VI. 8. 5. 7) *ultimum vocabulum metri gratia sedem mutare jussi; cf. fragm. incert. com.* 23. 8) *Valer. Max.* VI. 7. 1 *et* 9. 2; *Polyb.* X. 19. 3. 9) *Liv.* XXVI. 50; *Polyb. l. l.; Flor.* II. 6; *Aurel. Vict. de vir. ill.* 49. 8. 10) *l. l. pag.* 103.

ratus. Quamquam in Cnejum etiam et Publium Scipiones illos, qui in Hispania perierunt, bilem suam effudisse poetam, ex iis concludi potest, quae e Cicerone excerpsit Augustinus [1]: *Periclem violari versibus et eos agi in scena non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset aut Naevius Publio et Cnejo Scipioni, aut Caecilius Marco Catoni maledicere.* De Plauto nil constat, redeo ad Naevium. Illud autem de Metellis effatum quomodo intelligendum sit, e Cicerone [2]) colligitur: *hoc Verrem dicere ajebant, te* (Metellum) *non fato, ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua consulem factum.* Dicit igitur, Metellos fortuna, non meritis suis Consules factos esse. Adnotat autem ad Ciceronis locum laudatum Asconius, Metellum, quamvis nec consularis aetatis, nec praetor ante fuisset, Consulem esse designatum. At anno ab urbe condita DXXXXVIII. duo tantum Metelli Consulatu functi erant; nam de L. Caecilio Metello, qui anno CDLXX. Cousul factus est, affirmari nihil potest; immo Denter fuisse videtur [3]). Qua in re causa fuit, cur Zumptius [4]) totum versum Naevio abjudicaret. Verba ejus haec sunt: *fuisse Naevii versum*

fato Metelli Romae fiunt Consules

tradit Asconius, cui reposuisse Metellos Saturnium hunc:

malum dabunt Metelli Naevio poetae

exequitur Terentianus Maurus de metris. Neque tamen poetam, si Naevius fuerit, veterem illum et celebrem Cn. Naevium, belli Punici scriptorem, fuisse puto, qui mortuus est, Cicerone auctore [5]) *anno ante Christum CCIV., quo tempore fuerat quidem unus Metellus Consul anno CDVI. et illius pater aut avus (?) fortasse medio bello primo Punico; verumtamen admirabilis illa familiae Metellorum felicitas non prius quam ab anno CXLIII et CXLII. a. Ch. coepit, quo fratres Q. et L. Metelli Consules facti sunt; immo vero non exagitari potuit nisi Gracchorum aetate, cum illorum fratrum alterius quatuor, alterius duo filii omnes deinceps summos in republica honores nanciscebantur. Intra*

---

1) *de civit. Dei* II. 13. 2) *in Verr.* I. 10. 27. 3) *Drumann Geschichte Rom's* II. *pag.* 18. 4) *ad Cicer. Verrin. pag.* 72. 5) *Brut.* 15.

XII ferme annos, ait Vellejus[1]) *hujus temporis (i. e. ante Consulatum Q. Metelli Numidici anno CIX.) Consules fuere Metelli aut Censores aut triumpharunt amplius XII. Itaque Naevii nomen celebri versui adhaesisse puto, quod constabat, illum veterem poetam inimicitias cum principibus civitatis Quintoque Metello Consuli CCVI. exercuisse eamque ob causam Italia relegatum esse.* Ita Zumptius. Quae contra eum disputavit Franciscus Ritterus [2]), ita comparata sunt, ut nemo jam post doctam hujus viri expositionem de bona illius versus fide dubitare possit. Invehitur enim poeta sine dubio in Q. Caecilium Metellum, Lucii filium [3]), qui anno ab urbe condita DXLVIII. Consul, teste ipso Asconio, versu illo Saturnio poenam Naevio minatus est, nec frustra. Nam in L. Caecilium Metellum bilem suam effudisse poetam, verisimile non est, qui bis Consul, anno a. u. c. DIII et DVII., quantopere de populo Romano meritus esset, bellum Punicum et splendidissimus ille triumphus Naevium docere poterat, cui etiam, cum, servato e Vestae aede incendio correpta palladio, oculis privatus esset, statua a toto populo decreta et permissum est, ut vehiculo in Senatum ferretur [4]). Nam non adeo caecus homo Naevius dici potest, ut, quem servatorem gloriae Romanae ipse populus praedicaverat, eum diceret fato Consulem esse factum. Fortasse etiam hic Metellus, cujus gens plebeja erat, plebi favit, usque dum ejus demum filius a plebe descisceret. Neque, quamvis virum odisset patricium, adeo invidiosus in Scipionem poeta erat, ut gloriam suam ei praeciperet; sed in ipsis illis versibus, quos contra Scipionem composuit, tanti agnoscit viri magnitudinem et laudes praedicat. Sed gravissima, cur Naevius C. illum Caecilium Metellum stringere non potuerit, causa haec est, quod eo Consule vix e pueris poeta egressus erat, quodque Asconius Metellum „*tum Consulem*" versu illo Saturnio respondisse dicit. Atqui fabulam ante annum DXXIII. Naevius nullam dedit; versus autem ille trimeter jambicus est, ergo e comoedia aliqua depromtus: unde apparet, Q. Caecilium Metellum a Naevio

1) II. 11. 2) *Zeitschrift für Alterthumskunde* 1841 *pag.* 329. *sqq.* 3) *non nepotem, ut Zumptius putat. cf. Plin. hist. nat.* VII, 45. 4) *Ovid. Fast.* VI. 436. *Valer. Max.* I. 4.

laesum fuisse. Sed dissentit paululum Ritterus, a quo etsi cetera bene exposita sunt, pauca tamen addam de iis, in quibus aut errasse vir doctus aut quae omisisse videtur. Stat autem ab eorum sententia, qui et Metellum et Scipionem in carmine de Punico bello derisos putant, quod neutiquam fieri potuit. De metro versuum alio loco [1]) agetur; nam ne Saturnii quidem sunt, sed jambici. Qui autem, quaeso, fieri potuit, ut ad Q. Metellum anno post finitum bellum Punicum primum tricesimo quinto in carmine, quod de hoc bello conscripserat, alluderet? Sunt igitur hi versus e comoedia, nescio qua, quae tamen anno DXXXXVIII., teste ipso Asconico, edita est; Metellum enim *tum Consulem* iratum alteri versui respondisse dicit. Consentit historia. Nam eodem anno ludos Romanos ter, plebejos semel ab aedilibus instauratos esse Livius [2]) memoriae prodidit. His igitur in ludis Naevii fabula edita est. Restat, ut inquiramus, quae causa fuisse videatur, cur tanto in Metellos odio Naevius vel plebs, cujus patronus est, flagraverit. Haerebat autem in animis nefaria ista juvenum nobilium conjuratio, qui relicta Italia ad regem aliquem transfugere constituerant, quorum princeps Q. aut L. Caecilius Metellus erat: Valerii enim Maximi [3]) omnes, Livii [4]) complures codices Quintum dicunt, pauci libri Lucium. Sed sive Lucius sive Quintus (qui cum Consule idem esse videtur) fuit, magna inde Metellorum familiae inusta est ignominiae nota. Praeterea alia erat causa, cur plebs Q. Caecilio Metello Consuli succenseret. *Priusquam* enim, ut Livii [5]) verbis utar, *proficiscerentur Consules ad bellum, moniti ab senatu sunt, ut in agros reducendae plebis curam haberent; sed res haudquaquam erat populo facilis; magna tamen pars, auctoritate Consulum compulsa, in agros remeavit.* Quae de Consulatu a Metellis gesto Zumptius exponit, speciosiora sunt quam veriora. In Naevii enim aetatem efflorescens Metellorum incidit fortuna, qui quamvis ad summum honorum fastigium sub Gracchorum demum tempora pervenirent, fundamenta tamen antea posita erant, atque illud erat facile ad concludendum,

1) *fragm. incert. com.* 22 *et* 23. 2) XXVIII. 10. 3) V. 7, 6. 4) XXII. 53; *cf. Oros.* IV. 16; *Dio Cass. fragm.* 44. *pag.* 29. 5) XXVIII. 11. 8.

Metellorum familiam saepius honoribus functuram esse, cum primum ad eos elata esset. Nec spes fefellit poetam acutum.

Alias praeter Zumptii argumenta causas, cur pro subditicio fictoque Grammaticorum versu illum Naevianum haberet, Lerschius [1]) attulit. Si enim Naevius tale quidquam lusisset, id verbo uno alterove addito Ciceronem indicaturum fuisse credit, cum praesertim libenter occasionem arripiat antiquos poetas laudandi. At hoc ipsum est argumentum, quo demonstrari potest, ab ipso Naevio profectum illum versum esse. Erat enim hic Naevii lusus in vulgus ita notus, ut Metellum fato consulem fieri proverbii instar de immerita quaque fortuna Romani dicerent [2]). Cetera Lerschii argumenta ipsa rerum historia refelluntur. Id autem satis mirari nequeo, quod addit, hunc poetam puerum et senem vix Metellum aliquem Consulem novisse.

Temerarium est, de alio quodam Naevio poeta cum Blumio [3]) et Zumptio cogitare, de quo ne verbum quidem traditum est.

Haec de versu illo, contra Metellos scripto, habui praemittenda; de altero contra Scipionem composito nemo unquam dubitavit.

Iam quo consilio principes civitatis in carminibus suis carpserit Naevius, inquirendum est. Supra jam monui, plebejum fuisse toto animo poetam Naevium. Constat autem, jam primis rei publicae temporibus utrumque ordinem, sive gentem dicere malis, suam partem etiam carminibus evexisse [4]). Ita Naevius quoque literis suis in plebis favorem utitur. Plebem dico, quae quidem post legem Plaetoriam non erat opposita patribus; sed nomina tantum, non ipsa res mutata erat. Nam ordinum certamina in republica Romana nunquam cessaverunt. Patres in nobiles ita mutati sunt, ut plebeji homines optimatium partes, quippe ad quas et ipsi adire poterant, fovere saepius coepissent, simulatque honoribus fungerentur [5]). Ita

1) *de versu Saturnio pag.* 24. 2) *Zell Ferienschriften* II. *pag.* 52. 3) *l. l. pag.* 32. *not.* 51. 4) *Krause l. l. pag.* 47. *et* 104; *Blum. l. l. pag.* 12. 5) *Ahrens die drei Volkstribunen Tib. Gracchus, M. Drusus und P. Sulpicius pag.* 7.

praecipue Metelli, qui, quamvis e gente plebeja orti, ab optimatium tamen partibus stare coeperant; unde factum est, ut Cicero Metello Nepoti, tribuno plebejo, vitio verteret[1]), quod, qua via majores sui ingressi essent, ea derelicta a melioribus degeneraret moribus. Inde Naevii in eos odium, ut in patriciam Scipionum gentem. Sed aeque fovit Catonem, Atilium Calatinum, qui, e gente plebeja oriundi, re etiam plebeji homines erant. De studio et amore in Atilium Calatinum infra disputabimus [2]); Cato autem amicissimus poetae fuisse videtur [3]) de quo apud Ciceronem [4]) loquens inducitur; cujus simplicitatem Romanumque ingenium ab omni externarum rerum imitatione alienum ut coleret necesse erat, cum irruenti postea luxui et Graecarum literarum nimio amori pro virili parte adversaretur, et quocum commune ei in Scipiones odium erat. Contra superbam Claudiam gentem Naevium scripsisse verisimile mihi quidem non est. Quam enim, cur ita statuat, causam Blumius [5]) affert, eam nihili esse infra docebimus [6]). Praeterea etiam summi tum inter optimates Metelli erant Scipionesque, quos lacessendo totam poeta nobilitatem irrisui habet. Sed multos etiam alios viros nobiles eum laesisse, a Gellio [7]) narratur.

Verum nobilium ultio poetam non mansit. Dederunt enim poenam Naevio poetae. Nam cum leges XII. Tabularum sanxissent [8]), ne quis occentaret sive carmen conderet, quod infamiam afferret flagitiumve alteri, optimates de violata hac lege diem Naevio dixerunt, auctore, ut apud Eusebium legitur [9]), Metello, qui, quemadmodum lege praescriptum erat, postulasse videtur, ut capitis eum damnarent. Sed a plebe servatus est, quamquam absolvi non poterat. Inde novum argumentum peti licet, quo demonstretur, Naevium Romae, non in Campanis natum esse, quia, si in Campania natus esset, nullum poetae contra Me-

---

1) *Otto von Mirbach Römische Briefe* I. *pag.* 199. 2) *fragm. Pun. bell.* III. 7. 3) *pag.* 11. 4) *Caton.* 14. 50. 5) *l. l. pag.* 51. *et* 57. 6) *fragm. com. inc.* 1. 7) III. 3. 15. 8) *Blum l. l. pag.* 13. *not.* 12.; *Krause l. l. pag.* 48. *not.*; *Rein Röm. Privatrecht pag.* 349.; *Baehr Röm. Literaturgesch. pag.* 68 *not.* 3.; *Moser ad Cicer. de Republ. pag.* 436. 9) *ad Olymp.* CXXXXIV.

tellorum vim erat refugium[1]. Lege enim Porcia cautum erat[2]), ne quis cives Romanus, nisi quem universus populus jussisset, capitis damnaretur aut verberibus afficeretur. Quis autem nisi plebs sua Naevium servare voluerit? Nihilominus tamen res a Metello et nobilium factionibus eo perducta est, ut in publicos carceres a triumviris capitalibus includeretur[3]). Ibi quam habitus sit male et crudeliter, Plautus testatur, qui, ludens quidem, his versibus[4]) populi misericordiam et auxilium pro amico suo invocat:

apage! non placet mihi illa inaedificatio.
Nam os columnatum[5]) poetae esse inaudivi barbaro,
Cui bini custodes semper totis horis accubant.

quos versus ad Naevium spectare, Paulus Diaconus[6]) auctor est: *barbari dicebantur antiquitus omnes gentes exceptis Graecis; unde Plautus Naevium, poetam Latinum, barbarum dicit.* Sed explicatione eget locus hic Plautinus, quem ut totam Militem gloriosum anno ab urbe condita DXXXXVIII. in scena editum esse ex iis, quae supra exposui, apparet; lis enim inter viros doctos est, quos hoc loco custodes Plautus dicat. Homines autem Naevio custodes non fuisse, e verbo *accubant* consequitur; nec canes fuerunt, qui hac in re usui non erant. Explicationi inservit alter locus Plautinus[7]);

. . . , quaeso, ut quidem hodie tu canem et furcam feras,

ubi verborum lusu usum esse Plautum recte Beckerus[8]) statuit. Catellum enim cum catella ludens alio etiam loco componit[9]), qui quidem simillimus ei est, quo Naevii mentio fit:

deligatum te hodie faciam cum catello ut accubes;
ferreum ego dico.

Catena igitur pedes deligatos Naevium habere, Plautus queritur, inverso ordine custodem poetae catellam ita dicens, ut catellos custodes aedium dicere solent.

---

1) *Niebuhr Röm. Gesch.* II. *not.* 105. 2) *Rein Röm. Privatr. pag.* 44; *Goettling Röm. Staatsverf. pag.* 421. 3) *Gellius* III. 3. 15. 4) *mil. glor.* II. 2. 56. 5) *Lobeck paralipom. pag.* 154. *not.* 6) *s. v. barbari pag.* 36. *ed. Muell.* 7) *Casin.* II. 6. 37. 8) *Gallus* I. *pag.* 131. 9) *Curcul.* V. 3. 13. *cf. Lucil. apud Non. pag.* 36 *et* 199. *ed. Merc.*

Videtur autem plebs Romana postulasse a nobilibus, ut poetam suum vinculis liberarent. A tribunis enim plebejis e carcere exemptus est, nescio, an vi, quae Schuettii est sententia, postquam Hariolo et Leonte, quas in ipso carcere conscripserat fabulas, *delicta sua et petulantias dictorum* (verba sunt Gellii [1])), *quibus multos ante laeserat, diluerat.*

Ita quamvis plebi redditus esset, mox tamen, cum sibi temperare non posset et contumeliis suis nobiles viros iterum lacessisset, factione nobilium ac praecipue Metelli [2]) Roma pulsus in exilium migravit. Quod non dubito, quin eodem anno DXXXXVIII. factum sit, quo Consulem Metellum factionis ducem fuisse et plus valuisse quam Consularem verisimile mihi quidem est. Non repugnabo tamen, si anno demum insequenti expulsum patria Naevium statuere malueris, quo scilicet anno dictator comitiorum habendorum causa Q. Caecilius Metellus dictus erat. Pauca autem necesse est, ut addantur de complurium doctorum virorum [3]) errore, qui mero maledicendi impetu raptum poetam esse dixerunt, non consilio aliquo ductum. Quodsi tam vili ferebatur iracundia, quae, quaeso, stultitia erat, in idem vitium relabi, cujus poenam acerrimam dederat? Tantine erat sine consilio maledicere, ut igni et aqua sibi interdici quam iracundiae impetum refrenare mallet? Immo cum Gracchis comparandus est. Praeterea quae causa esse poterat, cur poetam Roma expellere voluerint proceres civitatis, nisi quod ab eo sibi metuerent?

Uticae postquam biennium fere exul vixerat diem supremum obiit anno ab urbe condita DL [4]) sive Olymp. CXXXXIV, 1., si fides Ciceroni [5]), qui tamen Naevii vitam a Varrone longius produci narrat: *Cethegus Consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, quaestorque his Consulibus M. Cato, modo plane annis CXL. ante me Consulem, et id ipsum, nisi unius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas, ut alios fortasse multos, oblivione obruisset. Illius autem aeta-*

---

1) III. 3. 15. 2) *Hieronymus in Euseb. Chron. ad Olymp. CXXXXIV.* 3) *Duentzer et Lersch de versu Saturnio pag.* 24. 4) *falso Schuette pag.* 19. *DXLIX, quippe, ut videtur, fastos capitolinos secutus, quos Catoniana aera uti constat; quamquam pag.* 20. *annus DL invenitur, nisi altero loco vitium typographicum latet, quibus scatet libellus.* 5) *Brut.* XV. 60.

tis qui sermo fuerit, ex Naevianis scriptis intelligi potest. His enim Consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus; quamquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum vitamque Naevii producit longius. Consentire cum Varrone, vel ex ejus scriptis hausisse videtur Hieronymus [1]), qui Olymp. CXXXXIV. 3. sive anno ab urbe condita DLII. mortuum esse dicit Naevium. Utitur enim et ipse Eusebius [2]) aera Catoniana. Jam vero Schuettius [3]) ex accurata temporum ratiocinatione sequi putat, poetam multis annis post M. Cornelium Cethegum, T. Sempronium Tuditanum Consules supremum diem obiisse, idque ita exsequitur, ut ante comprobatam rem Ciceronis verbis ex arbitrio suo ea addat, quae docere vult. Cum enim apud Ciceronem Varro *longius* Naevii vitam producere dicatur, apud Schuettium *multo longius* produxisse traditur. Sed ipsa Schuettii argumentatio nulla est. Uticam enim urbem Cethego et Tuditano Consulibus a Scipione oppuguatam esse dicit, unde *Naevium aut transfugam ad infestam Romanis urbem, aut etiam in urbem a Romanis eo tempore oppugnatam in exilium missum esse* concludit. At quis unquam his ipsis Consulibus in exilium missum esse poetam dixit? quem anno aut biennio ante Roma pulsum esse conjecimus quidem, non tamen sine causa idonea, cui infra ipsam eam addemus, quam falso in suam rem traxit Schuettius. Quis porro ignorat, his, de quibus sermo est, reipublicae Romanae temporibus neminem certa quadam in urbe exulare jussum esse? [4]) Ultro igitur Uticam petiit Naevius, ex quo consequitur, non anno demum DL eum in exilium migrasse; quis enim, nisi insanus et mente captus, in eam urbem migrat, quam et patriae inimicissimam et a civibus suis oppugnatam scit? Sed quae facta ex rerum historia addit Schuettius, ne ea quidem vera dici possunt. Per totam enim hiemem a Scipione obsessam Uticam narrat, quamvis disertis verbis Livius [5]) haec referat: *quorum* (Syphacis cum exercitu) *adventus hoc tamen momenti fecit, ut Scipio, quum quadraginta ferme dies nequidquam*

---

1) *in Euseb. Chron. l. l.* 2) *ad Olymp. VII.* 3) *pag.* 19 *sqq.* 4) *Goettling Röm. Staatsverf. pag.* 118. 5) XXIX. 35. 12. *Appian. de bell. Pun.* I. *pag.* 13. *ed. Toll.*

omnia experiens obsedisset Uticam, abscederet inde irrito incepto. Et (jam enim hiems instabat) castra hiberna... communit. Hoc igitur largimur Schuettio, Uticam non expugnatam et Romanis infestam tum fuisse. Sed inde non sequitur, Naevium Uticae hoc tempore mortuum non esse, sed illud potius, quod nos supra statuimus, eum antea et tum Uticam migrasse, cum *annis prope quinquaginta nullum Romanum exercitum Carthaginienses vidissent* [1]) i, e. uno vel duobus ante obsessam Uticam annis, nec sperare possent fore, ut Romanus exercitus, victore etiam Hannibale Italiam obtinente, ipsam Carthaginem peteret. Quid? quod hiems tum instabat, cum Scipio Uticam obsidebat, ita ut annus fere praeteriisset. Poterat igitur integra Utica in ipsa hac urbe supremum diem obire Naevius. Sed aliam etiam causam Schuettius affert, qua Ciceronis testimonium labefactet, neque eam altera firmiorem, quamvis ex ipsis Naevianis petitam reliquiis. Summis enim laudibus suis Scipionem non privavit, sed *viva ejus facta vigere, ipsum apud gentes solum praestare et res magnas manu gloriose gessisse* [2]) dixerat. Concludit autem ex his Schuettius, versus hos ante pugnam ad Zamam commissam scribi non potuisse. Frustra; nam summa jam Scipionis de restitutis in Hispania Romanorum rebus et de Nova Carthagine capta erat fama et gloria, fabula autem, cujus hi versus erant, anno DXXXXVIII. e nostra quidem sententia docta [3]). Nihil igitur Schuettii efficiunt argumenta. Quae cum ita sint, Ciceronis testimonium, eo libentius amplector, quod et accuratum est et antiquorum commentariorum nititur auctoritate. Nam neque ei ea satisfecisse videntur, quae Varronem ad Naevii vitam longius producendam commoverant argumenta, ut qui aliam ipse auctoritatem amplectatur.

Monumentum Naevio positum fuisse [4]), id, quod superest, epigramma ab ipso in sepulcrum suum scriptum, testatur [5]):

---

1) *Liv.* XXIX. 28.; *quodsi enim Scipio in Africam profectus, cum Syphace anno DXLVIII. foedus icit, id cum duabus tantum navibus factum erat Liv.* XXVIII. 18. 13. 2) *cf. pag.* 15. 3) *pag.* 18. 4) *Lange vindic. trag. Rom. pag.* 28. 5) *Gellius* I. 24. 2.

immórtales mortáles flére si forét fas,
flerént divae Camoénae Naévium poétam
itáque postquam 'st Orcíno tráditus thesaúro,
oblíti sunt Romaí loquiér Latina língua.

Addam pauca de Naevio tribuno, cum qui praeter hunc in nostram notitiam venerunt Naevii [1]) vix memorata digni sint. Tribunum autem Naevium cum Petillio P. Cornelium Scipionem Africanum Magnum repetundarum accusasse constat [2]), post quam accusationem in voluntarium exilium egregius ille vir concessit et ita Naevio etiam poetae poenam dedit. Exstat lusus verborum, quo in hunc Naevium usus Scipio est: *Quid hoc Naevio ignavius?* [3]) Verum a Naevio poeta ii, qui subsecuti sunt, Naevii id hereditate quasi acceperunt, ut vehementissimo et ipsi in optimates odio flagrarent. Tribunum autem Naevium Naevio poetae cognatum esse probabiliter inde etiam conjecit Blumius [4]); saepe enim id fieri Romae solebat, ut a patre filius, a filio nepos certam quandam de republica et rebus ad eam pertinentibus sentiendi rationem acciperet [5]).

1) *Schuette l. l. pag.* 12. *Valer. Max.* II. 38.; *Oudendorp ad Frontin.* IV. 7. 29. *Quintil.* VII. 224. 2) *Liv.* XXXVIII. 51. 56 *sqq.*; *Plutarch. Cat. maj.* 3; *Gellius* IV. 18; *Aur. Vict.* XLIX. 16; *Dio Cass. fragm.* 70. *pag.* 35; *Appian. de reb. Syr.* I. *pag.* 182. *ed. Tol.*; *Valer. Max.* III. 7. 1. 3) *Cicer. de Orat.* II. 61. 249 *ibiq. Ellendt.* 4) *l. l. pag.* 33. 5) *Ahrens die drei Volkstribunen etc. pag.* 10.

Liber secundus.

Naevianorum Carminum Reliquiae.

I. Carmen de Punico bello primo.

Pauca tantum de hujus carminis fatis praemittenda sunt, e quibus certa quaedam, si fieri potest, lex deducatur, secundum quam fragmenta, quae aetatem tulerunt, in ordinem redigantur.

Cicero [1]: *quam gaudebat*, ait, *bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus! quam Pseudolo!* e quibus verbis cave ne concludas, Naevium et Plautum carmina laudata ceteris suis praetulisse. Plautum enim Epidicum suam in deliciis habuisse, ex ipsis ejus fabulis constat [2]. Nihil igitur aliud in his verbis inest, nisi senem et Naevium et Plautum his libris suis, in mortis paene limine conscriptis, summopere gavisos fuisse, itaque suo etiam exemplo comprobasse, quam possint etiam senes vera gaudere gaudia.

Suetonius [3]) Naevii bellum Punicum ab ipso Naevio *unico volumine et continenti scriptura* scriptum et a Lampadione in libros redactum esse narrat, unde factum est, ut, quae a Varrone citantur fragmenta, libri indicio careant. Verba autem Suetonii vix dici potest quam absurdo modo Duentzerus et Leschius [4]) intellexerint. Suae enim de versu Saturnio sententiae servientes Naevii de bello Punico carmen, ut cujus versus versuum ne nomine quidem digni sint, ea ipsa de causa, quod pedestrem imitaretur orationem, pedestris etiam orationis instar, id est *unico volumine et continenti scriptura* expositum fuisse hariolantur. Cujus sententiae cum gravis censor jam exstiterit [5]),

---

1) *Caton.* XIV. 50. 2) *Bacchid.* II. 2. 36. 3) *de illustr gramm.* 2. 4) *de versu Saturnio pag.* 10 *et addend. pag.* 78. 5) *Grauert Nachschrift zu Koene's Sprache der Röm. Epiker pag.* 277. *not.* 3.

ego omni censura supersedere potero. Facio igitur cum Granerto et Blumio[1]), qui carmen de bello Punico non certis singulorum librorum limitibus inclusum, sed continenti usque ad finem scriptura ita defluxisse arbitrantur, ut lineis interpositis singuli versus discreti fuerint. Qua, ut ita dicam, cohaerentia soluta, Lampadio Naevii carmen in certos quosdam libros divisit. Sed quot Lampadionis libri fuerint, non relatum invenitur, quamvis a veteribus grammaticis septem tantum libri laudentur, idque ita, ut in eo, quod e septimo apud Nonium servatum est, fragmento[2]) de pacis conditionibus agatur, unde verisimile fit, septem revera libros fuisse. Non tamen ex arbitrio, sed poetae ipsius rerum dispositionem secutus Lampadio libros divisit, si vera sunt, quae de commentatoribus Cicero[3]) dicit: *interpretes, ut grammatici poetarum, proxime ad eorum, quos interpretantur, divinationem videntur accedere.*

Praeter Lampadionem Cornelius etiam et Virgilius, nescio qui, Naevii libros commentariis instruxerunt[4]), idque ante Lampadionem, quamquam huius Naevianorum carminum recensio celeberrima fuisse videtur.

Sequitur, ut de totius carminis compositione agatur, non dico de ejus indole poetica, de qua infra sermo erit, sed de rerum inventione et dispositione. Iam vero Naevium prooemii instar antiquissimas utriusque civitatis res descripsisse, e fragmentis primi et secundi libri satis apparet. Noli autem credere, me a Blumii[5]) partibus stare, qui non urbium origines et, si venia verbo, incunabula tantum, sed gravissimas etiam res, a Romanis a primis inde temporibus usque ad primum bellum Punicum gestas, ipsius belli descriptioni praemissas fuisse conjicit. Quodsi hanc suam conjecturam tribus fragmentis[6]) fulcire studet, id quam temere factum sit, suo loco exponetur. Quid? quod

---

1) *l. l. pag.* 40. *not.* 75. 2) VII. 2. 3) *de Divin.* I. 18. 34. 4) *Varro de ling. Lat. pag.* 325. *ed. Speng., quo loco fallitur Spengelius, C. Aelium pro Cornelio substituens; cf. Mueller l. l.* VII. 39; *Meyer in Zeitschr. für Alterthumsk.* 1836. *pag.* 367; *notus quidem Aelius Stilo, Cornelius ignotus: Osann annal. crit. pag.* 154; *Petermann de C. Lucilii vita et carminibus* (*Vratisl.* 1842) *pag.* 7. *not.* 3. 5) *l. l. pag.* 24 *sqq. et* 29. 6) *fragm.* II. 9 *et* 15; III. 7.

Blumius omnes Romanas ante Punica bella res primo carminis libro contentas fuisse putat, in quo Aeneae etiam errores Trojaeque incendia tractata fuisse constat. Ingens, mehercle, ejusmodi liber est. Sed accedit etiam hoc, quod, mutata contra grammaticorum, qui Naevii fragmenta servarunt, auctoritatem libri numero, quidquid lubet in primum, cui prae ceteris libris favisse vir doctus videtur, librum infert. De Romulo enim, de Aventino, de urbe condita in secundo libro Naevium cecinisse Varro et Servius [1]) referunt, quos tamen locos omnes ad primum librum pertinere Blumius statuit. Deinde ne constetisse sibi quidem vir doctus videtur. Nam de Carthaginis origine Naevium cecinisse concedens, Romanae tantum urbis incrementa carmine descripta fuisse dicit, de Poenorum urbis incrementis nihil a poeta additum fuisse statuens. Sed mittamus Blumium et sub examen vocemus Krausium [2]). Hic omni veterum scriptorum auctoritate neglecta, temerarius magis quam ipse Blumius, poetam secundo jam libro belli descriptionem orsum esse putat. Sed hoc libro de Aenea etiam, de Didone, de Romulo Naevium cecinisse quicunque hujus libri reliquias servarunt luculenter tradiderunt. Iam, ne longus sim, lectores ad secundi libri fragmenta relego. In ceteris cum miro quodam modo Blumium sequatur Krausius, ea, quae supra contra Blumium dicta sunt, in Krausium quoque cadunt. Restat Spangenbergius [3]), qui quamvis multis in rebus verum cum Merula, a quo maximam partem pendet, viderit, multa tamen habet, de quibus secus statuendum esse mihi quidem videtur. Primum enim librum res Trojanas usque ad Aeneae in Italia adventum tractasse opinatur, secundum urbis fundamenta, Carthaginis incunabula, belli initium. At, quaeso, quis unquam sanus homo ita libros dividit, ut res duas contrarias nullo vinculo connexas, primum Romam tum Carthaginem conditam, narret, quod nisi duobus iisque diversis carminibus fieri nequit? Necessarium igitur omnino est, ut futurus urbis Romae conditor cum condenda et condita Carthagine connectatur, quod scimus, quomodo a Virgilio factum sit. Quodsi autem eo se excusatum vult Spangenbergius, quod primo libro Troja-

1) *cf. fragm.* II. 7. 8 *et* 10. 2) *l. l. pag.* 140 *sqq.* 3) *Ennii Fragmenta pag.* 188 *sqq.*

num, alterum Romanum quasi Aeneam cecinerit Naevius, ne id quidem commode fieri potuit. Quo enim consilio Romae et Carthaginis originem tradiderit poeta, neque apud Spangenbergium, neque apud ceteros viros doctos expositum est. Hi autem omnes mihi concessuros esse confido paene, rem esse longam et inutilem, urbium origines tractari alio consilio nullo, nisi ut sciant lectores, quo modo orta sit utraque civitas. Melius hac in re Blumius egit, qui de urbis Romae (mallem hoc etiam de Carthagine statuisset) incrementis cecinisse poetam opinatur, quod ideo ab eo factum esse dici possit, ut, quibus opibus et auxiliis uterque populus belli initio usus sit, appareat. Sed de hac re jam supra verba feci; ineptum enim erat, totam repeti Romanorum historiam, et quasi ab Adamo incipi, ut Davidis regnum describas. Neque hoc in Naevium cadere crimen, clare, si quid video, e Ciceronis loco quodam [1]) apparet, quo Ennium, omnia Romanorum bella persecutum, primum illud Punicum, utpote a Naevio descriptum reliquisse narratur. Cum igitur Blumii sententia omnino temeraria sit, Spangenbergii autem dispositio poetam inconsiderate fecisse arguat, meum hac de re qualecunque judicium proponam. Romanis igitur cum Carthaginiensibus sub reipublicae demum tempora commercium fuisse traditur. Unde apparet, Virgilii illam de Aenea apud Carthaginienses morante fabulam vetustissimis Romanis ignotam fuisse. Sive igitur ante Naevium, sive ab ipso excogitatam eam fuisse statuas, e Naevii certe re erat, exponere, quomodo utraque urbs, initio conjuncta, Deorum ipsorum consiliis distracta fuerit. Accedit aliud argumentum. Nam et Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum fuisse tradiderunt [2]), ita ut et Aeneae errores et condita Carthago in idem fere tempus inciderent. Nam quamvis Ennius se septingentis post conditam urbem annis natum dicat [3]), Naevium tamen hac in re cum eo sensisse demonstrari nec potest, nec si possit, multum interest, si vera sunt quae de calculo Enniano disputavit Niebuhrius [4]). Bene igitur sese habet temporum ratiocinatio a Naevio instituta, male ea, quae apud Virgilium est. Unde concludo, Naevium utrius-

1) *Brut.* XIX. 76. 2) *fragm.* II. 10. 3) *Varro de re rust.* III. 1. 4) *Röm. Gesch.* I. 284 sqq. et 289.

que urbis originem ita cecinisse, ut, ipsorum Deorum consiliis Carthaginem a Roma dissidere doceret et, quo erat animo Romano, Romanam rem ex ipsorum deorum voluntate superiorem fore demonstraret. Ipsum autem Virgilium suam de Aenea a Didone hospitaliter recepto fabulam e Naeviano hoc carmine desumsisse arbitror, e quo plurima hausit [1]). Inde sequitur, primo libro Trojae incendium et Aeneae errores, usquedum naufragus ad Libyae litora ejiceretur, tractatos fuisse, secundo Aeneae apud Didonem res, Carthaginis Romaeque originem, quibus rebus brevem adjunxit poeta de utriusque civitatis auxiliis descriptionem, belli indictionem et initium. Consentiunt cum hac rerum dispositione numeri librorum, qui apud varios inveniuntur scriptores, quos sequendos esse omnino puto.

Sed antequam rerum in reliquis libris tractatarum ordinem describam, ad Schuettium revertor, qui de fabula, quam in his primis de bello Punico libris secutus esse videatur, fusius exponit. *In ipsa vero fabula*, ait, *Naevium partim Graecos poetas cyclicos, qui vocantur, secutum esse, partim fabulas et carmina, quae eo tempore in ore populi Romani ferebantur, sumpsisse arbitror. In prima enim fabulae parte, quo, quomodo Aeneas Trojam reliquerit, cecinit, neque eandem plane, ac Virgilius ceterique poetae epici posteriores praebent fabulam, sed Arctinum secutus esse videtur; de altera vero parte, qua de Aeneae in Africam ac deinde in Latium adventu locutus est, fere nulla in Graecis poetis ante Naevium vestigia exstant.* Verba ipsa, quibus Schuettius [2]) usus est, laudavi. De altera autem fabulae parte jam supra exposui. Quae vero de Aenea e patria migrante Schuettius disputat, ea, si diligentius fragmenta inspexeris, per se corruunt. Naevium enim ita fabulam instituisse dicit, ut Aeneas non, ut apud Virgilium legitur, ruente Troja, sed ante captam urbem tum patriam reliquerit, cum Laocoontidae cum patre a draconibus divinitus immissis enecati essent. Hanc enim fabulam in Arctini *Ἰλίου πέρσει* expositam esse, Proclus [3]) memoriae prodidit: *δύο δράκοντες ἐπιφανέντες τὸν Λαοκόωντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν παίδων διαφθορoῦσιν· ἐπὶ δὲ τῷ τέρατι*

1) *cf. ad fragm.* I. 5. *sqq.* 2) *pag.* 57 *sqq.* 3) *in Hephaestione Gaisfordiano pag.* 523 *ed. Lips.*

δυσφορήσαντες οἱ περὶ τὸν Αἰνείαν ὑπεξῆλθον εἰς τὴν Ἴδην. Eandem fabulam in Laocoonte Sophoclem secutum esse Schuettius annotavit [1]). Sed propter quae verba Naeviana eandem hanc fabulam poetae Romano obtrudat, docere supersedit. Duo autem fragmenta sunt, a Servio servata, quibus Aeneae cum sociis e Troja exitus describitur. Sunt autem haec:

amborum uxores
noctu Troiade exibant, capitibus opertis,
flentes ambae, abeuntes lacrumis cum multis [2]).

et:

eorum sectam sequuntur multi mortales,
multi alii e Troja strenui viri,
ubi foras cum auro illic exibant [3]).

Eandem apud Virgilium fabulam legi negat Schuettius, cum tamen Crëusam pone Aeneam *per opaca locorum* [4]) conjugem secutam esse, et reversum e Troja, ubi amissam uxorem quaesierat, Aeneam ingens comitum novorum agmen excepisse [5]) legamus. Sed jam *operta uxorum capita ipsaeque noctu abeuntes* Schuettium docere poterant, flagrante demum Troja patriam ab Aenea relictam esse. Nondum enim nox erat, cum horrenda Laocoontem rapiebant fata, sed ipso etiam die in urbem tracta esse fertur fatalis [6]) illa machina. Si igitur enecato Laocoonte urbem fugissent Aeneae socii, quid id est, quod noctu et capitibus opertis exiisse uxores Naevius narrat? Nihili igitur Schuettii haec est de imitante Naevio conjectura. Quae praeterea causa erat, cur Virgilius, in reliquis Naevii vestigia premens, in his eum relinqueret? Ceterum quae de Aeneae apud Romanos fabula disputarunt viri docti, diligenter a Regelio [7]) collecta sunt; quamquam ab ipso Naevio excogitatam magis, quam expressam esse hanc fabulam arbitror.

---

1) *Dion. Halic. ant. Rom.* I. 48; *Welcker in Mus. Rhen.* 1839. *Suppl.* II. 1. *pag.* 151 *sqq.* 2) *fragm.* I, 5. *refert haec fragmenta Th. Bergkius ad templi Agrigentini descriptionem (Zeitschr. für Alterth.* 1842. *pag.* 191 *not.) contra Servii auctoritatem, qui ea cum Virgilianis versibus componit et ex primo carminis libro deprompta dicit cf. fragm.* I. 13. 3) *fragm.* I. 6. 4) *Aen.* II. 725. 5) *Aen.* II. 796. 6) *Aen.* II. 247. 7) *l. l. pag.* 21.

De reliquorum librorum ordine restituendo desperavit Schuettius, etsi hac in re periclitari quam desperare maluerant Merula et Spangenbergius quem nihilominus tacite sequitur Schuettius. Equidem librorum antiquorum auctoritatem secutus, hanc rerum in ceteris libris dispositionem inveni. Tertius liber bellum usque ad annum CCCCXCVI. u. c. descripserat, usque ad Consulatum C. Atilii Reguli et Cn. Cornelii Blasionis. Libro quarto expositae erant res usque ad annum CCCCLXXXXIX., quo ingens illud ad Camarinam naufragium Romani perpessi sunt, ad Consulatum alterum usque Cn. Cornelii Scipionis Asinae et A. Atilii Calatini. Quintus liber quot annos amplexus sit, difficile est ad statuendum, cum duo tantum certa ejus supersint fragmenta; hoc autem affirmari licet, gravissimam illam ad Panormum pugnam in eo etiam narratam fuisse, quae erat anno u. c. DIV. Sextus liber usque ad annum DX. progrediebatur. In septimo deinde tres totius belli novissimi anni usque ad ejus finem descripti erant. Haec singulorum librorum distributio est, quatenus ea e fragmentis superstitibus illustrari potest.

Naevii carmina inter eaque bellum Punicum saeculo p. Ch. n. etiam XIII. superfuisse, testatur Cramerus [1], ut sperare liceat, ea in monachiorum vel bibliothecarum tenebris adhuc latere.

Versu Saturnio in conscribendo hoc carmine usum esse Naevium, et per se patet, cum heroicus versus ante Ennium Romanis adhibitus non esset, quemadmodum firmissimis argumentis demonstrarunt Scaliger [2]) Hermannus [3]), Osannus [4]), Blumius [5]), Duentzerus [6]), Weichertus [7]), Munkius [8]), Grauertus [9]) et contra Wuellnerum [10]) evicit Goellerus [11]), et disertis verbis testantur scriptores veteres [12]). Quodsi vero Bo-

1) *Hauschronik pag.* 223 *apud Kraustum l. l. pag.* 161 *not.* 2) *ad Varron. de ling. Lat. pag.* 170 *ed. Bip.* 3) *Element. doctr. metr. pag.* 332. 4) *analect. crit. pag.* 29 *sqq. et ad Apulej. Minutian. pag.* 44 *sqq.* 5) *l. l. pag.* 48 *et* 49. 6) *Livii Andron. fragm. pag.* 14 *et* 15. 7) *poetar. Latin. reliq. pag.* 66. 8) *de fabul. Atell. pag.* 105. 9) *Nachschrift zu Koene's Spr. d. Röm. Epik. pag.* 277 *not.* 1. 10) *de Laevio poeta pag.* 10. 11) *ad Cicer. Orat. pag.* 360 *sqq.* 12) *Ennii Annal. fragm.* VII. 1 *Sp.*; *Horat. Epist.* II. 1. 56; *Festus s. v. Saturnus pag.* 325. *Muell.*; *Terent. Maur. v.* 2515 *Lachm.*; *Mar. Victor.* 2587. *Putsch.* 191 *Gaisf.*; *Atil. Fortunat. pag.* 2680 *P.* 293 *G.*; *Mar. Plot.* 2650 *P.* 282 *G.*; *Diomed. pag.* 512 *P.* 495 *G.*

thius [1]) conjecturam suam de Livii Andronici Odyssea temere conceptam neque ullo alio argumento nisam, nisi quod plures in ejus reliquiis versus heroicos agnoscere sibi videbatur, de Naevii quoque carmine valere vult, quod in hoc quoque versus heroici aut conspiciuntur [2]) aut facile restitui possunt [3]), hoc etiam in loco fallitur. Haec autem viri docti est sententia: *equidem Livium Andronicum initio versum Homericum usurpasse in vertenda Odyssea suspicor, mox autem, sive operis difficultate deterritum, sive plebis Romanorum alliciendae gratia, quae plebs rudior, ut ea aetate, non capiebat perfectissimos numeros, consilio mutato in populari tum genere Saturniorum versuum substitisse.* At cum versus Saturnii adeo vagi et parum sibi constantes essent, ut Atilius Fortunatianus [4]) se vix invenire apud Naevium versus dicat, quos pro exemplo ponere liceat, facile fieri potuit, ut Saturnii versus nonnulli heroicorum speciem referrent, speciem dico, cum omnes facile in Saturnii versus metrum redigi possint. [5])

In constituendis his versibus non vereor, ne vituperent me viri docti, quod Hermannum [6]) quam duumviros illos, Duentzerum et Lerschium [7]), sequi malui. Sed ne festinantius hac in re et ad Pythagoreorum illud αὐτὸς ἔφα agere videar, satis est relegasse ad doctam illius libri censuram a Grauerto [8]) compositam. Neque Odofr. Muelleri [9]) sequi volui sententiam, qui eam sibi legem versuum Saturniorum informavit, ut, quamvis schema ab Hermanno propositum plane justum diceret, omnes tamen theses supprimi posse censeret. Versus autem, quales secundum legem suam de thesi reticenda et omittenda exhibet vir desideratissimus, cum versibus jocularibus et poesi ista culinaria conferri possunt. Secutus tamen Muellerum est Schuettius, qui copiosius de versus Saturnii forma exposuit [10]), idque ita, ut primum, quae ab Hermanno optime disputata erant, repeteret, tum, probata Hermanni sententia, de licentiis, quibus hoc in versu uti licuerit, diceret et exempla versuum adderet. Sed ne-

---

1) *fragm. trag. Latin. pag.* 15. 2) *fragm.* VI. 3. 3) *fragm.* I. 2. III. 1. 4) *l. l.* 5) *l. l.* 6) *Element. pag.* 606. 7) *de versu quem vocant Saturnio. Bonnae* 1839. 8) *l. l.* 9) *ad Festum pag.* 397. 10) *pag.* 48 *sqq.*

scio, quid passus sit Schuettius, qui, si ex exemplis a se allatis de versu ipso concludere voluerit, concedere debebat, inde a Livio Andronico pessum datam esse et lapsam totam hujus metri formam, quod factum esse Iudaeus credat Apella. Nam quae affert vetustissima versuum Saturniorum fragmenta[1]), ea ita fluunt, ut, ne in uno quidem thesis aliqua suppressa sit, excepto unico versu e carmine arvalium fratum,

sémunis altérnei ádvocapit cónctos

qui tamen ita, ut a Schuettio constitutus est, vix ferri potest. Quid? quod ea, quae suppressae apud Livium thesis exempla apposuit[2]), ita comparata sunt, ut omnes non dubitem quin in schema ab Hermanno propositum bene coeant. Nam quae Schuettio auctoritas est, unde unum semper eumque totum versum a scriptoribus laudari sciat? Pauca tantum exempla proponam. Iam primus versus Livianus

túque mi narráto ómnia jam disértim

e conjectura Schuettii restitutus est, addita voce *jam;* facilior haec medela:

.... túque mi narráto
disértim omnia ..´.;

alterum

sáncta puér Saturni fília regína

ita constituo:

..´... sáncta puér Saturni fília
regína

ut *puer* monosyllabum, *filia* disyllabum sit; tertium

túmque remos jússit réligare strúppis

ita refingo:

túmque remos jússit
religáre struppis ´.

ubi ne ad productam quidem insequenti litera *l* syllabam vocis *religare* primam refugio. Sequentes versus

átque escás habemus méntionem

1) *pag.* 51—55. 2) *pag.* 55 *sqq.*

et

pártim errant nequínont Graéciam redíre

metrum Saturnium ab Hermanno constitutum, plane referunt:

átque
escás habemus méntiónem ....

et

... partem érrant
nequínont Graeciám redíre ....

Sic omnes fere, modo recte dividas, in metrum facili opera redigi possunt. Schema igitur ab Hermanno propositum unice verum arbitror, ita tamen, ut, quemadmodum Grauertus scite docuit, accentus vocum plurimum valeat.

Collegerunt carminis de bello Punico primo fragmenta:

Robertus et Henricus Stephani: fragmenta poetarum veterum Latinorum, quorum opera non extant ect. 1564. 8. pag. 214., a quibus plurima fragmenta oratione pedestri excusa sunt, inter quae, quamvis perpauca sint collecta, multa tamen inveniuntur, quae neque ad Punicum bellum, neque omnino ad Naevium pertinent.

Paullus Merula: Q. Enni poetae cum primis censendi annalium fragmenta. Lugd. Batav. 1595. 4to., vir dubiae fidei. Quae enim e Calpurnii Pisonis de continentia veterum poetarum ad Trajanum principem libris et e glossariis Guilielmi Fornerii, quos libros se reperisse iisque usum esse gloriatur [1]), affert, ita sunt comparata, ut suspicionis falsique notam vix possint effugere [2]). Plura de hac re vide apud M. Hoch [3]). Nihilominus ea, quae ex libris suis addit Merula, Naevii fragmenta recepi, exstincturus ea, simulac fraudis Merulam videro convictum.

Petrus Scriverius: collectanea veterum tragicorum, quibus accedunt singulari libello castigationes et notae uberiores Gerardi Ioannis Vossii. Lugdun.

1) *Prooem. pag. ii.* 2) *Hermann Element. pag.* 632. 3) *cf. pag.* 5.

Bat. 1620. 8. pag. 45. — qui, quamvis tragoediarum tantum reliquias colligere voluerit, nonnulla tamen in incertis, quae dicit, habet belli Punici fragmenta. Non contemnenda magnam partem sunt, quae adnotavit Vossius.

Ph. I. ab Almeloveen: opuscula sive antiquitatum e sacris profanarum specimen; conjectanea, veterum poetarum fragmenta et plagiariorum syllabus. Amstelodami 1686. 12. — qui nihil ad Naevii fragmenta aut colligenda aut emendanda attulit. Ceterum hunc libellum Clementi [1]) vocat *peu commun*.

Godofr. Hermannus in Elementis doctrinae metricae pag. 629, cujus viri summa sunt de Naevii fragmentis merita. Id tantum dolendum est, Hermannum metricum solum, non interpretem se exhibuisse.

I. H. Bothe: poetarum Latii scenicorum fragmenta, volumen quintum et sextum Poetarum Scenicorum Latinorum. Lipsiae 1834, vel potius Halberstadii 1823 (nam totius libri inscriptio tantum mutata est). In incertis tragoediarum [2]) et comoediarum [3]) fragmentis multa habet, quae ad bellum Punicum pertinent. Non pauca sunt in hoc libro temeritatis indicia.

E. S. (Esaias Spangenberg): Quinti Ennii annalium fragmenta; accedunt Cn. Naevii librorum de bello Punico fragmenta. Lipsiae 1825. 8. Fragmenta nonnunquam feliciter explicuit, in plerisque tamen rebus Merulae mancipium dici potest.

H. Duentzer et Lersch: de versu quem vocant Saturnio. Bonnae 1839. 8. Horum virorum prior conjecturam de ipso versu Saturnio suam praemisit, posterior fragmenta Odysseae Livianae et belli Punici Naeviani collegit et ad legem a se socioque excogitatam ridiculo quodam modo ne dicam in versus coegit, sed ictibus superimpositis, syllabas tantum, non quantitatem numerans, novum inde quodammodo metrum composuit. Ceterum de augendis parum, de explicandis reliquiis non meruerunt.

A. Schuette: de Cnaeo Naevio poeta. Particula prima. Herbipoli 1841. (sed sub finem demum anni in-

---

1) *Bibliotheque curieuse Tom. I. pag.* 202. 2) *l. l. pag.* 91 *sqq.* 3) *l. l. pag.* 22 *sqq.*

sequentis emissus liber est). Multos temere Naeviano carmini versus adscribit ea sola de causa, quod in metrum Saturnium includi posse videntur, neque eo deterretur, quod, ut Saturnius versus evaderet, multa mutanda erant [1]). Alia fragmenta trimetrum jambicum [2]) aut trochaicum metrum [3]) exhibent, nihilominus tamen, quamvis dubitanter, inter Satnrnios referuntur; quid? quod phalaeceum hendecasyllabum Laevii in Saturnium corrupit versum [4]). Priorum tantum librorum fragmenta in ordinem quendam digessit, in reliquis autem, quamvis de fragmentis suo loco restituendis desperans, Spangenbergium pedetentim sequitur. De metro, quo usus est, jam supra sententiam nostram declaravimus. Auxit tamen fragmentorum numerum, quamquam saepius versibus alienis.

De edendo Naevii de bello Punico carmine cogitarunt vel cogitant:

H. Duentzerus [5]), nisi iam promissis stetisse arbitratur, publicatis in libro suo de versu Saturnio fragmentis Naevianis.

Grauertus [6]).

Fragmenta libri primi.

1.

Initium carminis in Calpurnio Pisone suo hoc se legisse affirmat Merula [7]): *Cn. Naevius bello Punico primo immoriturus* (lege *immoraturus*) *canit, ut solent illo aevo:*

Qui terrai Latiai omnones tuserunt
Viros rudesque Poenica fabor

quos versus Merula ita mutavit digessitque

Quei terraai Latiaai hemoones tuuserunt
Vireis fruudesque Poenicas fabor.

---

1) *fragm.* 3. 7. 65 *et* 66. 2) *fragm.* 29. 3) *fragm.* 67. 4) *fragm.* 64. 5) *Zeitschr. für Alterthumsw.* 1838. *pag.* 1196. 6) *Zeitschr. f. Alt.* 1840. *pag.* 584. 7) *l. l. pag.* 41.

Hermannus, hiatum fugiens, ita:

Qui terrai Latiai hemones contuserunt
Viros frudesque Poeni fabor.

Scaligeri versus ἄμετροι sunt. Paucis mutatis hos Spangenbergius versus exhibet:

Qui terrai Latiai tuserunt hemones
Veires frudesque Poenicas fabor.

Schuettius:

qui terrai Latiai hemones tuserunt
viros frudesque Poeni fabor.

ad Livium Andronicum Virgiliumque provocans, apud quos in initio carminum *viri* non *vires* inveniantur. Frustra. Cum Merula facio scribens

qui térrai Latiái hémones tusérunt
virés frudesque Poenicás fabor . .′. [1])

Nam in hiatu apud Naevium nulla offensio, nec in caesura nec alio loco [2]).

2.

Servius [3]): *multi tradunt, hoc in primo* (sc. belli Punici libro) *dictum*:

. .′. *Trojáe qui prímus ab oris* .′.

Quamquam ipse cum Servio dubito, an vere hic versus Naevianus sit. Si est, verbotenus nonnunquam Naevium expressit Virgilius. Omiserunt hoc fragmentum editores omnes.

3.

Belli Punici esse fragmentum a Festo [4]) servatum conjicio, cui conjecturae magnum pondus accedit, quod aliud subsequitur fragmentum, quod quin ex ipso hoc carmine petitum sit, vix dubitari potest [5]). Festi verba sunt: *topper significare ait Artorius cito, celeriter. Sic C.* (Cn.) *Naevius: capesset flammam Volcani.* Mendum hoc loco latere sole clarius est, cum ipsa vox, de qua disserit grammaticus, in fragmento laudato desideretur Ita corrigo:

capésset flammam tópper Vólcani . .′.

---

1) *laudat Duentzerus Naekium in indic. lect. hibern. univers. Bonn.* 1830. 2) *Cicer. Orat.* 45. 152. 3) *ad Virgil. Aen.* III. 10. 4) *s. v. topper pag.* 352 *Muell.* 5) *fragm.* IV. 6.

Bothius [1])

capesset flammam Volcani topper

neglecto accentu. Schuettius nescio utrum ita:

capésset topper flámmam Vólcani...

an cum Muellero:

. .' capésset tópper flámmam Vólcáni.

Verisimile mihi videtur, in primo libro, quo de Trojae incendio cecinit poeta, positum fuisse hunc versum. Sed nihil affirmo. Potest enim ad incensam etiam a feminis classem pertinere, quae Schuettii est sententia, qui nescio quo jure affirmat, ipsum fragmentum a Festo ad librum secundum referri; nam neque apud Muellerum neque apud Lindemannum hoc invenitur.

4.

Interpres Maji ad Virgilii Aeneida [2]): *peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse....ssunt. Naev* (ius).. *qui ita deo* (leg. *de eo*) *ait*: *doctus Anchisa, quem Venus, pulcherrima Div(um), fata docet, divinum ut pectus haberet.* Ennio iidem versus adscribuntur a Probo [3]) eique vindicantur a Merula et Spangenbergio [4]), quorum hic aut interpretem illum in nomine poetae errasse aut Ennium Naevii scrinia expilasse arbitratur. A Naevio haec sumsisse Ennium Schuettius quoque opinatur. Sed quamvis Cicero [5]) e Naevianis carminibus multa suffuratum esse Ennium dicat, non verisimile tamen est, id ab Ennio ita factum esse, ut ipsissima Naevii verba in suum carmen transferret; quippe necessarium erat, ut plagii convinceretur ab aequalibus suis, quorum in manibus Naevianum carmen versabatur et mentibus, utpote Horatii etiam aetate in hominum memoria [6]) infixum. Sed ne potuit quidem ipsa Naevii verba in suum usum conferre, quippe quae Saturnio metro, quod Ennius tanquam rude et incultum derisit [7]), inclusa raro tantum [8]) in longum Ennii versum coirent. Versus autem a Probo et altero Virgilii interprete laudati non dacty-

---

1) *fragm. tragic. pag.* 92. 2) II. 678. *pag.* 315. *ed. Lion.* 3) *ad Virgil. Eclog.* VI. 31. 4) *ad Ennii fragm.* I. 31. 5) *Brut.* 19. 76. 6) *Horat. Epist.* II. 1. 53. 7) *Enn. Ann.* VII. 1. *Sp.* 8) *cf. pag.* 32 *sqq.*

lici, sed boni Saturnii sunt, ut multis tantum immutatis metro heroico adaptari possint. Quae cum ita sint, non dubito, quin hoc etiam loco, ut saepius — de qua re infra agetur — Ennii nomen cum Naevio commutatum sit. Ut heroicus versus evaderet, Spangenbergius verba sic mutavit:

atque Anchisa doctu', Venus quem pulcra Dearum
fari donavit, divinum pectus habere.

Metrum Saturnium a Schuettio sic restituitur (ita certe ipse dicit):

Anchísa dóctus quém pulchérrima dívum fáta
docét divínum ut péctus habéret.

Sed bene sese habet metrum, nulla voce mutata:

dóctus
Anchísa quem Venús pulchérrima divum fáta
docét, divinum ut péctus habéret

melius etiam transposita una voce:

docét divínum ut habéret péctus . . . .

Male certe Schuettius cum poeta egit ejecta Veneris voce, quam uterque interpres tuetur.

Pertinet hoc fragmentum ad librum primum et, si hoc etiam loco Virgilio imitante Naevius gaudet, sermo est de flamma Juli caput lambente [1]), e qua felicem praedicit eventum Anchises. Ceterum de divinandi vi, qua praeditum Anchisen poetae finxerunt, confer quae laudat Schuettius [2]).

5.

Servius [3]): *Naevius inducit uxores Aeneae et Anchisae cum lacrimis Ilium* (falso Spangenberg. *illum*) *relinquentes his verbis:*

. . . ambórum
uxóres noctu Troíade éxibant capítibus
opértis flentes ámbae, abeúntes lacrimís cum
multis [4]).

Bene etiam ita distribuuntur:

amborum uxóres
noctú Troiade exíbant cápitibus opértis
ambáe flentes abeúntes lácrimis cum multis.

---

1) *Virg. Aen.* II. 682 *sqq.* 2) *l. l. pag.* 66; *cf. nos ad fragm.* III. 1. 3) *ad Virg. Aen.* III. 10. 4) *cf. pag.* 35.

Primam enim vocis *caput* Ennius etiam produxit [1]).
Sic codices omnes. Hermannus praepositione ejecta:

amborum
uxores noctu Troiad exibant capitibus
opertis, flentes ambae, abeuntes lacrimis multis.

Spangenbergius et Weichertus [2]) ejecta cum Bothio [3]), qui de restituendo metro desperat, voce *abeuntes*, hunc versuum ordinem fuisse arbitrantur:

amborum
uxores noctu Troad exibant capitibus
opertis, flentes ambae, lacrimis cum multis.

Schuettius ejecto vocabulo *ambae*:

amborum
uxores noctu Troiade exibant capitibus
opertis, flentes abeuntes lacrimis cum multis.

Nihil muto. Primam autem vocis *lacrima* productam cum Hermanno exhibui, quamquam vulgo vocalis ante literas *cr* apud veteres poetas corripitur [4]).

6.

Servius [5]): *Sane adamat poeta* (i. e. Virgilius) *ea, quae legit, diverso modo proferre, Naevius belli Punici primo de Anchisa et Aenea fugientibus haec ait: eorum sectam sequuntur multi mortales, ecce hoc est invenio admirans numerum; multi alii e Troja strenui viri, ecce hi sunt animis parati; ubi foras cum auro illuc exibant, ecce et opibus instructi.* Versus hi esse videntur:

eorúm sectam sequúntur múlti mortalés multi
alií - e Troja strénuí viri ubi forás cum
auro íllic exibánt.

ut primus versus cum sequenti coalescat [6]).

---

1) *fragm.* VII. 31. *Sp.* 2) *poet. Lat. rel. pag.* 85. 3) *fragm. trag. pag.* 96. 4) *Brix de Plauto et Terentii prosodia (Vratislaviae* 1841.) *pag.* 23. 5) *ad Virg. Aen.* II. 797. 6) *fragm.* IV. 1.

Hermannus primum tantum versum exhibet, Spangenbergius ultima primo loco ponit ita:

ubei foras cum auro illic exibant
. . . . eorum
sectam sequuntur multi mortales . . . .
multei aliei ex Troja strenui viri . . . .

Schuettius nonnullis mutatis hos affert versus:

eorum sectam multi mortales sequuntur
multi(que) alii Troiade strenui viri .
. . ubi foras cum auro illic exibant.

7.

Priscianus [1]: *Naevius in eodem* (i. e. belli Punici primo):

eî venit in méntem hémonum fortúnas.

Ita scripsi, quamquam apud Priscianum legatur *hominum* [2]. Schuettius versum omisit. Ipse autem locus exemplis addatur genitivi e verbis *in mentem venire* pendentis [3]. Krausius [4] hiatum vitans

ei venit in mentem fortunas homonum.

Verba esse videntur de lapsis Trojanorum opibus, quae quam antea floruerint, Aeneas, ex urbe patria profugus, secum reputat [5]. Nam de Panthu Virgiliano patriae calamitatem gemente [6] cogitare audacius esse videtur.

8.

Servius [7]: *Novam tamen rem Naevius bello Punico dicit, unam navem habuisse Aenean, quam Mercurius fecerit.*

Sine dubio hanc fabulam ab iis poetis vel ex ea fabula desumsit, qua Argo etiam Minervae artibus aedificata dicitur [8]. Longe repetita neque recte conclusa ea sunt, quae de Mercurio Schuettius disserit. Navem enim Aeneae e sacris montis Idae arboribus factam esse, in quibus Nymphae vitam egerint; Mer-

1) VI. 1. *pag.* 221. *ed. Krehl.* 2) *cf. fragm.* I. 1. *et* I. 12. 3) *Ramshorn Gr. Lat. pag.* 331. *not.* 2; *Drakenborch ad Liv.* VII. 5. 10. 4) *l. l. pag.* 138. *not.* 5) *Virg. Aen.* II. 800. 6) *Virg. Aen.* II. 322. 7) *ad Virg. Aen.* I. 170. 8) *Pindar. Pyth.* I. 185. *ibiq. Dissen.*

curium autem cum Silenis Nympharum sectatorem dici, ut navis ex sacris his arboribus exstructa inviolabilis et aeterna sit. Sed quid tum Mercurio opus? Aeterna etiam Argo e Dodonaea quercu facta. Nec Mercurium Nympharum amatorem scio magis fuisse quam ceteros Deos, exceptis Faunis Silenisque. Praeterea etiam ceterae Aeneae naves ex arboribus Idaeis exstructae erant, quas tamen non inviolabiles et aeternas fuisse ipsum illud, quod perpessae sunt, naufragium declaravit.

9.

Priscianus [1]: *inveni marum pro marium, qui tamen in raro est usu genitivus, apud Naevium in carmine belli Punici*

senéx fretus pietáte deûm állocutus súmmi
deûm regis fratrém Neptúnum regnatórem
marúm.

Sine idonea causa *deum* Schuettius e primo versu ejecit, quae vox cum insequenti penitus coalescit.

Nescio, cur ad tertii libri principium hos versus relegaverit Spangenbergius. Nam nec certum libri indicium apud Priscianum ullum est, nec pietas illa Deûm Duilium aeque decere videtur atque Anchisen, nec senem jam tum Dúilium fuisse ullus rerum scriptor memoravit. Si verisimilitudinem sequi licet, haec ad Anchisen vela solventem, itaque ad primum carminis librum pertinere arbitror. Nam apud Virgilium [2]) quoque Anchises fatis vela dare jubet. Facit mecum Schuettius.

10.

Servius [3]): *et totus hic locus* (de Aenea post cessantes tempestates socios consolante) *de Naevii belli Punici libro translatus est.*

Praeter haec ea etiam, quae sequuntur, Virgilium e Naevii carmine desumsisse testatur.

11.

Macrobius [4]): *sunt alii loci plurimorum versuum,*

---

1) VII. 16. *pag.* 343. *Krehl.* 2) *Aen.* III. 9. 3) *ad Virg. Aen.* I. 198, *falso Spang. et Schuett.* 202. 4) *Saturn.* VI. 2. *pag.* 170. *ed. Bipont.*

quos Maro in opus suum cum paucorum immutatione verborum a veteribus transtulit. Et quia longum est, universos versus ex utroque transscribere, libros veteres notabo, ut, qui volet, illic legendo aequalitatem locorum conferendo miretur. In principio Aeneidos tempestas describitur et Venus apud Jovem queritur de periculis filii et Jupiter eam de futurorum prosperitate solatur. Hic locus totus sumtus a Naevio est ex primo libro belli Punici. Illic enim aeque Venus, Trojanis tempestate laborantibus, cum Jove queritur, et sequuntur verba Jovis filiam consolantis spe futurorum.

12.

Macrobius [1]): *Naevius libro primo belli Punici:*

silvícolae hemonés duellíque inertes.

Hermannus versum ita dividit:

. silvicolae hemones
bellique inertes . . . .

male Schuettius

silvícolae hemónes bellique ínertés.

E primo libro hunc versum esse quamvis diserte Macrobius affirmet, nihilominus tamen Merula et qui eum sequi assolet Spangenbergius et Schuettius, numerum corruptum putantes, in alterum librum eum inferre maluerunt. Pertinet autem sine dubio ad Aeneae in Italia adventum, ubi cum populis belli inertibus, i. e. sine arte bellum gerentibus, et silvicolis, quippe ab ipso Fauno oriundis [2]), proelio ei disceptandum erat [3]). Non male igitur Merula et Schuettius numerum mutasse videntur, praesertim in Macrobio, cujus ne una quidem exstat editio critica, in qua variae sint adnotatae lectiones. Nihilominus equidem, usquedum Janii prodibit editio critica, eum, quem editio Bipontina praebet, numerum tueri malo. Verba Jovis esse videntur Veneri praedicentis, quae Aenean maneant fata [4]), et ad quas gentes perventurus sit. Nam si historice narraretur, pertineret hoc fragmentum ad librum secundum.

---

1) *Saturn.* VI. 5. *pag.* 181. *ed. Bip.* 2) *Schroeter ad Pseudo-Aurel. Vict. libellum de orig. gent. Rom. pag.* 32. 3) *Blum l. l. pag.* 53. 4) *Virg. Aen.* I. 257 *sqq.*

13.

Priscianus [1]: *Naevius in carmine belli Punici primo: inerant signa expressa, quomodo Titani, bicorpores Gigantes magnique Atlantes, Runchus atque Purpureus, filii Terras.*

Versus, quos inde restituit Spangenbergius, bene quidem sese habent, sed verba exhibent nimis mutata:

. inerant [2]) *(novae classi)* signa expressa
Titanis quomodo. et bicorpores Gigantes,
Magnique Atlantes, Rhuncus ac Purpureus, filii
Terras.

Merula autem [3]) verba a Prisciano citata ita commutavit, ut tertius, qui apud eum legitur, versus Naevii verbis nullo nomine similis dici possit:

Mimas, Ephialtes, Phoitus atque Purpureus.

Schuettius cum Muellero [4]) hos offert Saturnios:

ínerant signa exprêssa, quómodó Titâní
bicórpores Gigántes mágnique A'tlántes
Rhúncus ac Purpúreus fílií térras [5]).

Hermannus denique, ut assolet, hoc etiam loco ingeniose Naevii verba refinxit, idque ita, ut particulas conjungentes, utpote a grammatico additas, omitteret:

. ínerant signa expréssa quómodo Titáni
bicórpores Gigántes, mágni Atlantes, Rúnchus [6]),
Purpúreus filií terrás

in qua horum versuum restitutione eo libentius acquiesco, quo leviora sunt, quae mutavit vir doctus.

Infert autem hos versus cum Merula suo [7]) Spangenbergius contra disertum Prisciani testimonium in secundum carminis librum, in quo sequentem habet Schuettium. Classi enim novae a Romanis contra Poenos exstructae has imagines inscriptas fuisse arbitratur. Quid? quod in ipsos, quos constituit, versus verba *novae classi* intrusit. Schuettius cum Niebuhrio ad scuti Aeneae descriptionem refert. Non minus audax est Th.

1) VI. 1. *pag.* 221 *et* VI. 5. *pag.* 236. *Krehl, ubi maxima hujus fragmenti pars repetitur.* 2) *sic recte in notis, cum in versu legatur* i n e r a t. 3) *l. l. pag.* 50. 4) *ad Fest. pag.* 312. 5) *cf. pag.* 37 *sqq.* 6) *Herm.* *R u n c u s; sequor Priscianum.* 7) *l. l. pag.* 410.

Bergkii [1]) explicatio, qui ex templi Agrigentini descriptione hos versus depromtos esse statuit. At in primo carminis libro eos positos fuisse disertis verbis Priscianus affirmat. Neque ullam video causam, cur e primo libro ejiciendi sint; immo nullo loco aptiores sunt, quam eo, quo Aeneas, litoribus Libycis cum navi sua appulsus, in templo Junonis [2]) miratur quidquid ibi tabularum suspensum est. Quo minus enim cum Spangenbergio et Schuettio classi vel scuto haec signa impressa fuisse putemus, ipsae voces *inerant expressa* impediunt, quae imagines has *in* navibus, non *ad* naves affixas vel appictas indicant. Quae si minus ita essent, per me liceret, ut signa Aeneae navibus, non tamen Romanis impressa intelligerentur. Sed illam meam interpretationem commendare id etiam videtur, quod Virgilius permulta e Naevii carminibus sumsisse perhibetur [3]).

Quae de Atlantibus, quos nisi in hoc Naevii versu non occurrere, immo eosdem cum Gigantibus esse adnotat, Spangenbergius monuit, non assequor. Quis enim de Atlantibus fratribus unquam cogitavit? De imaginibus, ut et ipse Spangenbergius locum intellexit, poeta canit, in quibus cum compluries ingens Atlas expressus esset, magni etiam Atlantes a Naevio memorantur. Sed quo consilio res a poeta ficta sit, quaeri potest. In promtu est, quod respondeam. Iuno enim quod Carthagine imprimis colebatur, depicti vel expressi in ejus templo Titani et Gigantes erant, utpote Iovis Deorumque hostes; ex illis autem Atlantem [4]), ex his Runchum (Rhoetum) et Purpureum (Porphyrionem) tantum laudat.

Fragmenta libri secundi.

1.

Servius [5]) *cujus filiae fuerint Anna et Dido Naevius dixit* (sc. Agenoris).

Hoc etiam fragmentum ad comoedias refert Bothius [6]).

---

1) *Zeitschr. für Alterth.* 1842. *pag.* 191 *sqq.* 2) *Virgil. Aen.* I. 446 *sqq.* 3) *Lange vindic. pag.* 33; *fragm. libr.* I *et* II. 4) *Aeschyl. Prom.* 425. *ed. Well.* 5) *ad Virgil. Aen.* IV. 9. 6) *fragm. com. pag.* 26.

2.

Atilius Fortunatianus [1]): „*apud Naevium poetam hos* (versus Saturnios) *reperi idoneos:*

ferúnt pulchras cretérras aúreasque lepístas

Eundem versum, non addito Naevii nomine, laudant Marius Plotius [2]) et Marius Victorinus [3]).

Complures Fortunatiani libri *pateras* ἀμέτρως; apud Victorinum *que* desideratur; plurimi tamen codices in versu laudato consentiunt. Schuettius *crateras*; injuria [4]). Lepistae Graecis λεπάσται dicuntur [5]).

Schuettius de Aenea ejusque sociis in Idam montem res suas pretiosas e Troja ferentibus [6]) sermonem esse arbitratur. Sed eandem cum Virgilio fabulam secutum esse Naevium docuimus; unde fragmentum hoc ad libri secundi initium pertinere apparet; Dido enim Aenean advenientem hospitaliter excipit et conviviis in ejus honorem celebratis ornat. Virgilius ita imitatus est [7]):

crateras magnos statuunt et vina coronant.

3.

Nonius [8]): *Naevius belli Punici libro secundo:*

blande ét docte percóntat Aeneán, quo pácto
Trojam úrbem liquerít.

Mira hoc loco lectionum diversitas. Liber Mercerianus *percontat enos*, unde editio princeps *percontat en*, Lipsius [9]) *percontat em; tenesque pacto quo* margo editionis Hadriani Iunii; *Ennius quo pacto* Guelferbyt. Ald. et Hadr. Iunius; altero versu Nonii codices *Trojani* et *reliquisset*, princeps *liquisset*. Veram lectionem restituit Carrio [10]), qui *Aenean, quo* e libro Elnonensi substituit. Ennii mentionem non fieri primus docuit Merula [11]), cujus tamen disquisitio rem

---

1) *pag.* 2680. *Putsch.* 324. *Gaisf.* 2) *pag.* 2650. *P.* 282. *G.* 3) *pag.* 2587. *P.* 191. *G.* 4) *fragm. Lycurg.* 7; *Non. pag.* 547. *Merc.* 5) *Aristoph. Pac.* 863. *Ddf. Phot. Lex. pag.* 215. 1. *Pors.*; *Letronne de nomin. vas. Graec. p.* 56; *Gerhard Berlin's antike Bildwerke pag.* 151. 6) *cf. fragm.* I. 6. 2. 7) *Aen.* I. 724. 8) *s. v. liquidum pag.* 335 *et s. v. percontat pag.* 474 *M.* 228 *et* 322. *Gerl.* 9) *antiq. lect.* I. 2. 10) *in Gruteri Lampade artium liberalium* III. 3. 10. *pag.* 74. 11) *l. l. pag.* 51.

acu non tangit; nam Ennii nomen Naevio ignotum omnino fuit, cum post ejus demum mortem Ennius Romam viderit. Ceterum Merula e conjectura *Aeneas quo pacto*, quam lectionem susceperunt Spangenbergius et Schuettius, injuria ni fallor, cum Carrionis lectionem libri manuscripti auctoritas tueatur.

Ad Latinum aut Evandrum haec spectare Klausenius [1]) putat annotante Schuettio. Idem est error Spangenbergii, qui, cum inter Aenean et Didonem nullum commercium fuisse statuat, et ipse ad Latinum haec verba pertinere arbitratur. Quae autem Merula [2]) in hunc locum infert, ridicula fere, pudet repetere. Sermonem esse de Didone, Aenean, ut varios illos, e quibus Carthaginem devenerit, casus enarret, rogante [3]), recte Schuettius perspexit. Major certe hac in re Virgilii est ars, qua quae ante illam tempestatem divinitus Aeneae Trojanisque immissam facta erant ipsum Aenean narrantem facit, cum Naevius ipse Trojae ruinas et Anchisiadae errores narret, unde fit, ut roganti Didoni satisfacere heros ille Trojanus non possit.

4.

Lactantius [4]): *quarta* (Sibylla) *Cimmeria in Italia, quam Naevius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat.*

In regione Cumaea oppidum fuisse Cimmerium et Strabo [5]) et Plinius [6]) testantur [7]). Quae autem hoc loco erat Sibylla, propter propinquitatem aliorum locorum modo Cumana, modo Erythraea, modo Cimmeria dicebatur [8]). Apud Virgilium Cumanae nomen gerit [9]). Totam de hac Sibylla et de Prochyta Aeneae cognata fabulam Pseudo-Aurelius Victor [10]) servavit: *cum comperisset* (Aeneas), *ibidem* (inter Misenum Avernumque) *Sibyllam mortalibus futura praecinere, in oppido, quod vocatur Cimbarionis* (sic! lege *Cimmerium*), *venisse eo sciscitatum de statu fortunarum*

---

1) *Aeneas und die Penaten* I. *pag.* 515. 2) *l. l. pag.* 115. 3) *Virg. Aen.* I. 750 *sqq.* 4) *instit. Divin.* I. 6. *pag.* 21. *ed. Bip.* 5) V. 4. *pag.* 395. *ed. Tauchn.* 6) *hist. nat.* III. 9. 7) *idem nomen apud Aur. Vict. l. l. restituendum.* 8) *Dissen. ad Tibull.* I. 5. 19; *Scholiast. ad Lycophr. Alexandr.* 1278. 9) *Aen.* VI. 35 *sqq. ibiq. Heyne excurs.* 5. 10) *de orig. gent. Rom.* 10.

additisque fatis vetitum, ne is cognatam in Italia sepeliret Prochytam, cognatione sibi conjunctam, quam incolumem reliquerat. Et postquam ad classem rediit reperitque mortuam, in insula proxima sepelisse, quae nunc quoque eodem est nomine, ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso. Inde profectum pervenisse in eum locum, qui nunc portus Cajetae appellatur ex nomine nutricis ejus, quam ibidem amissam sepeliit. Atque revera Prochytae quoque mentionem a Naevio factam esse, testatur:

5.

Servius [1]: *Hanc* (Prochytam) *Naevius in primo belli Punici de cognata Aeneae nomen accepisse dicit.*

Hoc in loco Virgilius Naevium imitatus non est, sed, ut Naevius a cognata Prochytam, sic Cajetam a nutrice Aeneae nomen traxisse Virgilius narrat [2]. Refert tamen de Prochyta et Cajeta simul Dionysius Halicarnassensis [3]: *νήσῳ τε Προχύτῃ καὶ ἀκρωτηρίῳ Καιήτῃ τύχῃ προσορμισάμενοι κατὰ ταῦτα τίθενται τὰς ἐπικλήσεις τοῖς τόποις, γυναικῶν ἀποθανουσῶν βουλόμενοι μνημεῖα ποιῆσαι τὰ χωρία· τούτων δὲ ἡ μὲν συγγενὴς Αἰνείου λέγεται γενέσθαι, ἡ δὲ τροφός* [4].

6.

Priscianus [5]: *num* i n q u i e s, *cujus extremam corripi dicit Probus,* i n q u i e t i s *declinatur, quod trium factum est generum, ut supra ostendimus, cujus etiam simplex in usu invenitur trium generum. Naevius in carmine belli Punici secundo libro:*

. . jamque ejus mentem
fortuna fecerat quietem . . . .

Spangenbergius hunc versum exhibet:

jamque ejus mentem fortuna fecerat quietem,

hoc quidem loco a Merula suo discedens; Schuettius:

jamque
ejus mentem fortuna fecerat quietem.

---

1) *ad Virg. Aen.* IX. 715. 2) *Aen.* VII. 2. 3) *Ant. Rom.* I. 53. 4) *Casaub. ad Strabon.* V. *pag.* 379. *ed. Almelov.*; *Ruperti et Heinrich ad Juven. Sat.* III. 5.; *Schroeter ad Pseudo-Aurel. Vict. l. l. pag.* 74 *sqq.* 5) VI. 11. *pag.* 255 *Krehl.*

Merulam recte secutus Hermannus verba illa inter duos divisit versus. Praeierat Priscianus, qui mediam vocis *quietem* syllabam brevem hoc loco esse dixerat. Ceterum pronomen *ejus* monosyllabum est [1]).

Dicta haec sunt de Aenea, de quo poeta, tertia semper usus persona, narrat, qui, victis proelio hostibus suis de Italia occupanda cogitare poterat. De Didone secura, postquam fratris manus effugiens in litoribus Lybicis substiterat, ne cogitemus, vetat, ni fallor id, quod ea de se et de condenda urbe sua ipsa narrans inducta esse videtur. Quod si minus ita fuisset, nimiam sibi indulsisset licentiam poëta. Schuettius quamvis libri numerum, qui apud Priscianum invenitur, plane justum dicat, nihilominus tamen ipsum fragmentum in primum librum infert. Spangenbergius autem mutato libri numero, ad quartum librum pertinere arbitratus, ad Regulum respici putat, qui Xanthippo Lacedaemonio, Poenorum duci, intimidus occurrerit, nimium fortunae suae confisus.

7.

Varro [2]): *Aventinum aliquot de causis dicunt, Naevius ab avibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aves.*

Hanc etiam, quamvis haud commendabilem, Aventini etymologiam Virgilius secutus est, qui ita de eo canit [3]):

dirarum nidis domus opportuna volucrum [4]).

Aventinum autem montem, quippe qui neque in urbis pomoerium receptus et admodum saltuosus arboribusque obsitus esset et ad Tiberim decurreret, avibus prae ceteris septem montibus scatuisse verisimile est.

Apud Bothium hoc fragmentum inter comica recensetur [5]).

8.

Varro [6]): *eundem hunc locum* (Palatium) *a pecore dictum putant quidam, itaque Naevius* ***Balantium*** *appellat.*

---

1) *Lindemann de vetere ling. Latinae prosodia pag.* XXV. *Duentzer et Lersch l. l. pag.* 32. 2) *de ling. Lat. pag.* 49 *Spang.* 3) *Aen.* VIII. 235. 4) *cf. Servius ad Aen.* VII. 637. 5) *fragm. comic. pag.* 26. 6) *de ling. Lat. pag.* 59. *Speng.*

Balatium codices Florentinus, Hauniensis, editio Scioppii et Schuettius, *Ballantium* Rholandellus. Bene ceterae editiones *Balantium* tuentur [1]).

Cur autem Naevius a balantibus hunc montem appellatum esse statueret, optima erat, nisi fallor, causa. Cum enim urbis Romae primos conditores et pastores fuisse et primo hoc in monte subsedisse fabula ferat, ipsum montem, utpote a pastorum gregibus quasi habitatum, balantium montem dicit [2]). Quid? quod ante ipsos Romanos Arcades, qui imprimis pastores erant, sub rege Evandro in Palatino monte modicum oppidum condidisse feruntur, unde etiam Virgilius [3]) nomen a Pallante, Evandri filio, quem Pallantium alii vocant [4]), derivat, alii ab ejus filia Pallantia [5]).

Bothius [6]) in comoediis Palatii mentionem factam esse putat.

9.

Festus [7]) ubi de ponte Sublicio agit: *et*, addit, *meminit* [*Sublici pontis Naevius*], *qui ait in belli* [*Punici libro*]:

quam liquidum . . . . amnem.

De restituendo hoc fragmento cum Muellero, Schuettio despero. Non defuere tamen, qui hac in re periclitati sint. Ita Ursinus, quem sequitur Lindemannus:

quum liquidum Sublicio tranat ponte amnem

Spangenbergius:

quam liquidam trahit Sublicio ponte aquam.

Pertinet hoc fragmentum sine dubio ad librum secundum, ubi de Aventino, Palatio aliis poeta exposuit. Quo autem jure Blumius [8]) verba de Horatio Coclite intelligat, immo totam Romanorum ante Punicum bellum primum historiam a Naevio ipsius belli descriptioni praemissam esse inde concludat [9]), non intelligo. Quis enim ex solo pontis Sublicii nomine hoc eruere potest? Equidem ad condendae urbis vel Ro-

1) *Servius l. l.* VIII. 51. 2) *Blum l. l. pag.* 154. 3) *Aen.* VIII. 51 *sqq.* 4) *Schoemann ad Plutarch. Cleom.* 4. *pag.* 187. 5) *Blum. l. l. pag.* 123; *Varro l. l. pag.* 31 *et* 59 *Speng.* 6) *fragm. com. pag.* 26 7) *pag.* 293 *Muell.* 8) *l. l. pag.* 53. 9) *cf. pag.* 28.

mae, quam dicunt, quadratae descriptionem verba respicere arbitror. Non enim de ipso ponte, sed de Tiberi illo loco fluente poëta disserit.

10.

Servius [1]): *Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum, conditorem urbis, tradunt* [2]).

11.

Marius Victorinus [3]): *apud Naevium* (sc. inveni)

novem Jovis concordes filiae sorores.

Eundem versum laudat Atilius Fortunatianus [4]) ad eumque alludere videtur Terentianus Maurus [5]):

ut si vocet Camenas quis novem sorores

Bothius versum e comoedia depromtum esse opinatur [6]).

Spangenbergius, quem sequitur Schuettius, in initio carminis hos versus positos fuisse putat, bene si ad Virgilium [7]), male si ad Homerum [8]) respicimus, quem Naevius sine dubio non omnino neglexit, ut e compluribus locis demonstrari potest [9]). Nam, ut Homerus, Naevius etiam priores sui carminis libros duos prooemii instar praemisit, ita ut tertio, quemadmodum supra docuimus, acerrimi belli enarratio inciperet. Sub finem vero secundi libri utriusque populi auxilia et opes, nisi egregie fallimur, exposuit, ut et ipse Homerus, qui huic loco Musarum invocationem praemisit. Quae res me movit, ut hoc fragmentum in secundo Punici belli libro positum fuisse crederem. Plane aliter judicat Krausius [10]), qui ad finem carminis hoc fragmentum pertinere statuit.

12.

Priscianus [11]): *Naevius in secundo belli Punici:*

prima incedit Cereris Proserpina puer . . .

Exempla vocis *puer* pro *puella* positae ipse Priscia-

---

1) *ad Virg. Aen.* I. 273. 2) *disserui de hoc loco supra pag.* 29.; *cf. Serv. l. l.* VI. 778. 3) *pag.* 191. *Gaisf.* 4) *pag.* 324. *Gaisf.*, *falso apud Duentzerum pag.* 265. 5) *v.* 2514. *Lachm.* 6) *fragm. com. pag.* 25. 7) *Aen.* I. 8. 8) *Iliad.* II. 484. 9) *cf. not. ad fragm. Pun. bell.* IV. 6. 10) *l. l. pag.* 138. 11) VI. 8. *pag.* 248. *Krehl.*

nus praebet; plura invenies apud Osannum[1]) et Duentzerum[2]). Ipsa autem vox monosyllaba est[3]).

Componit hunc locum Spangenbergius cum alio[4]) ita, ut et hoc et quod sequitur fragmentum ad imagines navibus impressas referat: de scuti Aeneae descriptione cogitat Schuettius. Frustra, si vera sunt, quae supra[5]) disputavi. De loco autem hoc quid ipse sentiam, explicabo. Narratur enim a Livio[6]), Pyrrhum, e Sicilia recedentem, thesauros Proserpinae, intactos ad illum usque diem, spoliasse, neque sacrilegae manus poenas non dedisse. Quae cum ita sint, non dubito, quin Proserpinam deam, ut assolent dii veteres, hostibus Pyrrhi, qui tum, cum ex Sicilia in Italiam rediret, acerrimi erant Mamertini[7]), auxiliatam esse, itaque a Romanorum etiam partibus stetisse poeta finxerit. Eo igitur loco hoc fragmentum ponendum est, quo, quae fuerint utriusque partis auxilia et subsidia, poeta exposuit, qui nisi in fronte narrationis de bello Punico esse non poterat. Ad eundem locum pertinent versus

13.

a Macrobio[8]) servati: *hoc epitheto* (arquitenens) *usus est Naevius belli Punici libro secundo:*

deínde pólleņs
sagíttis inclutus árquitenéns, sanctusque Délphis
prognátus Pýthius Apóllo.

Schuettius contra metrum Saturnium, quod in fine dactylum pro trochaeo non admittere recte[9]) antea dixerat, ita voces transponit;

dein pollens sagíttis árcutenéns ínclutus ect.

Spangenbergius;

dein pollens sagíttis inclutus arquitenens
sanctusque Delphis prognatus Pythius Apollo,

deinde male in *dein* mutato, cum vocalis ante geminatam eandem consonam saepe corripiatur[10]); veteres

1) *Anal. crit. pag.* 35. 2) *l. l. pag.* 40. 41. 43. 51. 3) *cf. pag.* 34. 4) *fragm. Pun. bell.* I. 13. 5) *pag.* 34; *Plaut. Bacch.* III. 3. 37. 6) XXIX. 18. 7) *Liv.* XIV. 16. 21 *et* 22. 8) *Saturn.* VI. 5. *pag.* 181. *ed. Bip.* 9) *l. l. pag.* 49 *et* 50. 10) *Duentzer Liv. Andron. fragm. pag.* 18. *not.*; *imprimis Becker de comic. Roman. fabul. pag.* 14. *sqq.*; *Schneidewin ad Anonymum de versu heroico pag.* XIV.

enim *polens*, non *pollens* scribere solebant. Equidem cum Merula [1]) et Hermanno feci. Noli autem in voce *arquitenens* offendi, quae in *arquit'nens* contrahitur [2]), unde secunda vocabuli syllaba producitur.

Conjungunt hunc versum cum eo, qui praecedit, Spangenbergius et Schuettius. Sed cum quod nullum apud Macrobium est indicium, e quo hos versus cum illo cohaesisse concludi possit, tum ipsa res suadet, ut ne versus cohaesisse existimemus. Quodsi enim vera sunt, quae de loco, quo hi versus positi, et de consilio, quo scripti erant, dixi, Apollinem a Romanorum partibus stare non potuisse patet, quibus tamen Proserpina favet. Apollo enim Romae tanquam minorum gentium Deus colebatur, apud Poenos contra in summo habebatur honore [3]). Quid? primis reipublicae temporibus vix aliqua hujus dei aedes Romae fuisse videtur, cum teste Asconio [4]) Ciceronis aetate unicum Romae templum ei esset.

14.

Paulus Diaconus [5]): *sagmina dicebant herbas, verbenas, quia ex loco sancto arcebantur legatis proficiscentibus ad foedus faciendum bellumque indicendum, vel a sanciendo foedere. Naevius:*

. *scópas atque verbénas, ságmina, assumsérunt*

scapas cod. Guelferb.; *scabos* Monacens. et editt. praeter Muell. et Lindem. omnes; *scapos* margo edit. Augustin., Lindem., Schuett.; *scopas* correxit Scaliger probantibus Spangenb. et Muell.; *sumpserunt* libri manuscr. et excusi; *assumserunt* conj. Schuett.

Senarium versum inde effinxit Bothius [6]):

scabos atque e verbena sagmina sumserunt.

Versus est Saturnius capite mutilus.

---

1) *l. l. pag.* 53. 2) *Plaut. Capt.* I. 1. 27.; 2. 54. *Ritter elem. Gramm. Lat. pag.* 49. 3) *Baehr ad Plutarch. Flamin.* I. *pag.* 78; *Freinsheim Suppl. Liv.* XVI. 5. 4) *in Cicer. Oratt. pag.* 150; *Schmid. ad Horat. Epist.* I. 3. 17; *Luebker Comment. in Horat. Od. pag.* 171. 5) *s. v. Sagmina pag.* 320 *Muell.*; *cf. Goettl. Roem. Staatsverf. pag.* 20. *not.* 6) *fragm. com. pag.* 25; *nihil mutat in fragm. trag. pag.* 93.

Bene Spangenbergius, ad legatos Romanos, bellum Poenis indicentes pertinere hunc versum animadvertit. Quod vero Schuettius [1]) cum hoc fragmento aliud conjungendum esse arbitratur, male agit [2]).

15.

Charisius [3]): *exerciti genitivo. Naevius belli Punici libro secundo:*

Maníu' Valeriu' Cónsul pártem exerciti dúcit
in éxpeditiónem.

Ita scripsi cum Schuettio, quamvis apud Charisium ita legatur:

M. Valerius Consul partem exerciti
in expeditionem ducit.

quos versus, quorum prior catalectus est, exhibuerunt Merula [4]) et Spangenbergius, restituto tamen praenomine Manio pro Marco, quae saepissime in manuscriptis confusa invenies [5]). Merulae autem horum versuum explicatio [6]) ita vera est, ut satis mirari nequeam, cur Blumius [7]), frugibus repertis, ad glandes redire maluerit. Ceterum jam supra de Blumii ista conjectura, qua ex uno hoc et alio quodam [8]) fragmento Naevium hoc loco de bello Samnitico cecinisse concludit, judicium nostrum protulimus. Spectat hoc fragmentum ad secundum belli Punici annum, quo Manius Valerius Messala Maximus et Manius Otacilius Crassus Consules copias in Siciliam traduxerunt [9]). Quae cum ita sint, e causis supra expositis, hoc quidem fragmentum ad initium tertii libri referre malim, praesertim cum Charisii libri in ipso libri numero fluctuent (nam et *libro primo* et *secundo* legitur), nisi librorum manuscriptorum auctoritatem, ubicunque a verisimilitudine non abhorret, tueri amem.

Genitivus quartae declinationis, cujus gratia Naevii versus Charisius affert, haud raro apud scriptores

---

1) *l. l. pag.* 83. 2) *cf. ad fragm.* VII. 1. 3) *pag.* 73. *ed Lindem.*, 103 *Putsch.* 4) *l. l. pag.* 92. 5) *Drakenborch ad Liv.* XXVII. 25. 2; *Pighii annal. ad ann.* CDLXIII. *Oudendorp ad Frontin.* I. 8. 4. 6) *l. l. pag.* 398. 7) *l. l. pag.* 55. 8) III. 7. 9) *Eutrop.* II. 19; *Polyb.* I. 16 *et* 17.

Romanos [1]), et si fides Lambino [2]), apud ipsum Ciceronem invenitur.

Fragmenta libri tertii.

1.

Probus [3]): *Naevius belli Punici libro tertio sic:*

postquam ávem - aspéxit témplo
Anchíses, sacra imménsa Penátium ordine ponúntur;
immolábat auream victimám pulchram.

Scaliger [4]) *in mensa* pro *immensa* substituit versusque hos exhibet:

at posteaquam avim de templo Anchisa spexit,
sacra ordine in mensa Penatium Deorum
ponuntur, victimam auream polcram immolabat,

qua in re sequentes habuit Merulam [5]) et Spangenbergium. Hermannus:

postquam avium aspexit templa Anchises, sacra in mensa
Penatium ponuntur ordine: immolabat
auratam victimam pulchram.

Schuettius:

postquam
avem aspexit de templo Anchises sacra in mensa
Penatium ponuntur ordine; immolabat
auratam victimam pulcramque.

Ab omni mutatione abstinendum; prima enim vocis *immolabat* corripitur [6]) et vox *avem* monosyllaba est [7]) et hiatum ea de causa admittit.

Contra disertum Probi testimonium omnes editores ad *primum* carminis librum hos versus pertinere con-

---

1) *Lindemann ad Plaut. mil. glor.* II. 6. 114; *Westerhov et Stallbaum ad Terent. Andr.* II. 2. 28. 2) *emendat. Tullian. pag.* 131 *et* 264. *ed. Klein.* 3) *ad Virg. Bucol.* VI. 31. *pag.* 352. *Lion.* 4) *ad Varron. de ling. Lat. pag.* 200. *ed. Bip.* 5) *l. l. pag.* 49. 6) *cf. ad fragm.* II. 13. 7) *Becker de com. Rom. fab. pag.* 11. *sqq.; Duentzer et Lersch l. l. pag.* 32; *Goeller ad Plaut. Trucul.* 371.

jecerunt, neque sine magna veri specie [1]. Sequi tamen nolui, cum in ipso libro tertio locum huic fragmento et Probus tribuat, neque absque verisimilitudine sit, in tertio libro Anchisae iterum mentionem esse factam. Audacem quidem eam, quam in medium proferam, conjecturam esse confiteor, eo tamen nomine ceterorum interpretum explicatione majorem, quod Probi testimonio nititur. Igitur versiculi Naeviani quo spectent, Virgilius, hoc etiam, ut videtur, loco Naevii imitator, praeit. Postquam enim ex Epiro navem solverant Trojani et ad Italiae litus appulerant, primum omen apparet, quatuor scilicet equi nivei, in litore pascentes [2], e quo bella simul et pacem vaticinatur Anchises, tum, quemadmodum Helenus praeceperat [3], ominis firmandi causa Junoni Palladique sacra facit. Hoc omen Naevius etiam respexisse videtur, haud multo ante Anchisae mortem acceptum. Quod vero de *templo* et de *avi* canit, non obstat. *Aves* enim et *auguria* non solum de ipsis avibus, sed de aliis quoque signis dici notissimum est [4]. *Templum* autem non, ut assolet, de loco, unde auguria spectantur, sed de ipso Minervae templo intelligendum est, de quo equi illi decurrere videbantur [5]. Haec ad explicanda verba sufficiant; jam de loco pauca addam, qui tertio in libro Anchisae fuerit. In Eryce igitur Siculo Veneris Erycinae [6] templum fuisse constat [7], cum quod in eo Veneris filius, Eryx, occisus ab Hercule, sepultus erat et monti nomen dederat [8]; tum quod Drepani, quae civitas trans Lilybaeum sita haud longe a monte Eryce aberat, Anchises, Veneris amasius, Romanorum proavus, mortuus [9], et ipse hoc in monte sepultus erat. Haec praemisi, ut demonstrarem montem Erycem ad Romanos quam arctissime pertinere. Quanti autem in ipso bello Punico primo momenti fuerit, ne ipsos quidem Romanos fugit [10]. Quae cum ita sint, haec mea est de versibus his Naevianis

---

1) *cf. Blum l. l. pag.* 53. 2) *Virg. Aen.* III. 537 *sqq.* 3) *Aen.* III. 435. 4) *Cicer. Tuscul.* I. 15. 33; *Philipp.* II. 35. 89. *ibiq. Wernsdorf; Duker ad Flor.* II. 2. 7; *ita etiam Graecorum* ὄρνις *Aristoph. Av.* 719 *sqq. Ddf.* 5) *Virg. Aen.* III. 531. 6) *Liv.* XXII. 9; XXIII. 30. 31. *ecl.* 7) *Servius ad Virg. Aen.* III. 707; V. 759. 8) *Servius l. l.* I. 570. 9) *Virg. Aen.* III. 707. 10) *Liv.* XXI. 10. 4; XXVIII. 41. 3.

sententia. Certant primo bello Punico de Sicilia Poeni Romanique; quam ad Romanos pertinere insulam poeta docere vult; itaque fabulas de Drepano et Eryce narrantem facit nescio quem ita, ut quae paullo ante mortem suam Anchises in honorem et solatium Romanorum praedixerat, repeteret. Si vero hoc etiam loco Naevium exscripsit Virgilius, dubito, an ullum magis deceat, de omine illo et tota fabula Romanos admonere, quam Duilium, cui insolito adhuc Romanis proeliandi genere dimicandum, itaque milites trepidantes secundo omine ad fortitudinem revocandi erant.

Sed aliud etiam est in his Naevii verbis memoratu dignum, in quo et ipso Virgilius eum imitatus esse videtur. Anchisen enim quamvis, fulmine tactum, visum amisisse in fabulis sit [1]), quamobrem Trojanorum conciliis non interfuisse dicitur, Naevius tamen et Virgilius eum obcaecatum non dicunt, sed Virgilius membris tantum debilem eum fuisse et captum narrat, in quo, nisi fallor, Naevium habuit praeeuntem.

De more, victimas auratis cornibus insignes, quas aureas hoc loco poeta dicit, immolandi disputavit Eustathius [2]).

2.

Nonius [3]): *atrox, crudum. Naevius belli Punici libro tertio:*

simúl atrocia prosicerent éxta ministratóres.

Ita Mercerius. *extra* Leidensis codex, quem sequitur Schuettius; *projecerunt* Hadr. Junius in animadversis; *porricerent* idem in editione sua; *porriciunt* Spangenb. et Schuett. praeeunte Merula [4]). Mihi unice vera Mercerii lectio videtur, quae inde corruptelam traxit, quod glossae *porricerent* et *projecerunt* veram lectionem, inusitatam illam atque ignotam, loco cedere juberent. *Prosicere* autem quamvis alio loco inveniatur nullo, e vocabulis tamen *prosicium* et *prosicia* [5]) apparere videtur, verbum illud in usu quondam fuisse, quod cum librariis inauditum videretur, explicandi cau-

1) *Servius ad Virg. Aen.* I. 617; *Heyne excurs.* XVII. *ad Aen.* II.; *Hygin. fab.* XCIV. 2) *ad Hom. Odyss. pag.* 1475. 32. *ed. Rom.*; *Popma ad Varron. de ling. Lat. pag.* 186 *ed. Bip.* 3) *s. v. atrox. pag.* 76. *Merc.* 54. *Gerl. et Roth.* 4) *l. l. pag.* 425. 5) *Festus pag.* 225. *Muell.*

sa alia verba substituerunt. Jam vero cum atrocia et sanguinolenta exta non porrigi scirent, *extra* pro *exta* conjecerunt.

Conjungunt hunc versum Merula, Spangenbergius et Schuettius cum alio fragmento, quod e quarto libro idem Nonius servavit [1]). Temere. Sermo esse videtur de C. Duilii triumpho, nisi versus ad Scipionum, C. Aquilii Flori, C. Sulpicii Paterculi, A. Atilii Calatini aut C. Atilii Reguli triumphos pertinet. In triumphis enim sacrificia facta et convivia celebrata esse constat [2]).

3.

Isidorus in libro de natura rerum [3]): *flustra motus maris sine tempestate fluctuantis. Naevius in bello Poenico in inscriptione quod ait:*

honeráriae - honústae stábant in flustris.

ut si diceret: in salo.

Recte versum, de quo constituendo desperare se confitetur Schuettius, digessit Spangenbergius, hiatu admisso. Bene etiam in scribendo *honerariae* et *honustae* secutus est librum manuscriptum, cum Schuettius aspiratas exulare jubeat [4]).

Dubitarunt Viri Docti omnes de verborum *in inscriptione* vel ingenuitate vel significatu. Non pudet, meam de his verbis proponere sententiam. *Inscriptio* ad columnam Duilii rostratam, in qua nunc etiam legitur [5]), pertinet. Sermo est de captis a Duilio navibus, de quibus in ipsa inscriptione haec leguntur: xxxQVE NAVEIS CEPET CVM SOCIEIS. Possis etiam

---

1) VI. 4; 2) *Roma aus dem Englischen des Duncan, von Heusinger pag.* 105. 3) *in Festi editione Muelleriana pag.* 382 *et Suetonii Wolfiana* III. *pag.* 76. *Isidorum hujus libri, quem manuscriptum Oxoniense Schuettius cum Spangenbergio dicit, auctorem esse, docebit te Lerschius in Zeitschr. für Alterthumsw.* 1841. *pag.* 1112. 4) *Duker ad Florum pag.* 918. *ed. Lips.; inde factum est, ut verba onerare et honorare saepissime confundantur: Drakenborch ad Liv.* IV. 13. 13; XXXV. 11. 6; *Benecke ad Iustin. Phil.* V. 4. 13. 5) *in editione Flori Dukeriana pag.* 853 *ed. Lips.; et apud Grotefendum gramm. Latin.* II. *pag.* 295. *edit.* I.

de tabularum triumphalium inscriptionibus cogitare, quales in aedibus Deorum suspensas et verbis gloriosis inscriptas fuisse, ea veterum loca, quae congessit Lerschius [1]), comprobant. Malo tamen haec verba de columna rostrata accipere, ut larga, quae Duilio ex victoria sua contigerit, praeda, qua secure uti Romanis licuerit, describatur. Falso in secundum librum intulit hoc fragmentum Spangenbergius, pedetentim sequente Schuettio.

4.

Priscianus [2]): *invenitur etiam simplex* *decor*, *decoris* *penultima correpta apud vetustissimos, quando pro* *decorus*, *decora*, *decorum* *accipitur. Naevius in carmine belli Punici:*

magnámque domum decorémque dítem vexeránt.

vexrant cod. Zwiccaviensis I; *vexarant* Zwicc. II, Hermannus et Schuettius; *vexant* Paullin. II. Schuettius, neglecto Prisciani testimonio de correpta vocis *decorem* penultima, ejectaque particula enclitica:

magnám domum decórem dítem véxárant.

Et hoc et quod praecedit fragmentum Spangenbergius cum eoque Schuettius ad auctas Carthaginis recens conditae opes respicere arbitrantur, cujus civitatis onustae semper naves onerariae in mari fuerint virosque divites et decoros vexerint. At fragmentum praecedens tertii libri esse ex ipsis Isidori verbis apparet, de quibus quae sentiam, supra exposui; hic autem omnino non dubito, quin ad navem illam splendidissimam septiremem Hannibalis, ducis Poenorum, pertineat, quae antea fuerat Pyrrhi regis. Hanc enim cum triginti aliis navibus Punicis a Duilio captam esse, et Polybius [3]) et Orosius [4]) et ipsa columna rostrata testantur, in qua haec leguntur: SEPTEMRESMOMQVE DVCIS (sc. CEPET). Quae cum ita sint, hunc quoque versum e columnae rostratae descriptione depromtum esse statuo.

5.

Calpurnium Pisonem in libro de continentia poetarum primo, ubi de dissolutionibus exposuerit, haec

1) *l. l. pag.* 18. 2) VI. 9. *pag.* 250 *ed. Krehl.* 3) I. 23. 4) IV. 7.

addidisse Merula [1]) affirmat: *ἀσυνδέτως insigni artificio exaggerant et poetae et oratores, veteres imprimis, tempestates, hostium incursiones, urbium oppugnationes, luctus et publicos et privatos et talia... Quanta autem audita suorum clade formidine contramiserint* (leg. *contremuerint* cum Scaligero) *Afri, quam repente imo motu illorum animi conciderint, Ennius libro septimo dissolutiore, id est meliore, describit arte quam Naevius... Naevius in tertio*

sic Poenei contremiscunt artibus; universum
magnei metus tumultus pectora possidet;
caesum funera agitant, exsequias itilant
temulentiamque tollunt festam.

Sic Merula, quem hoc praesertim loco fraudis suspicionem vix effugere posse Hermannus [2]) monuit. Secundus versus apud Nonium [3]) etiam invenitur sine ullo libri indicio, ita ut e tragoedia aliqua desumtum eum esse et Hermannus et Bothius [4]) putent. Apud Nonium autem haec leguntur: *metus masculini. Naevius*:

magni metus tumultus pectora possidet,

quo loco novissimos miror Nonii editores, qui e libris, ut videtur manuscriptis, *intus* pro *metus* ediderunt; recte enim in editionibus omnibus *metus* legitur, quod si loco cedere jubeas, ipsa illa vox, in cujus gratiam Nonius versum hunc Naevianum affert, deest. Sed ne de libris quidem, quorum auctoritate ducti versum Naevianum mutaverint, quidquam annotarunt duumviri illi, justo saepius negligentiores.

Versus si vere Naeviani sunt, non necessarium habeo, ut cum Scaligero, Merula, Hermanno, Spangenbergio, Schuettio *universim* legatur, cum *universi* opponantur singulis [5]). Quamquam, ut egregie monet Hermannus, in ipsis genitivis contractis *universum* et *caesum* importunum vetustatis studium latet. Versus ipsi autem alio, quam a Merula factum est, modo constituendi sunt. Hermannus, sequente Schuettio, apud quem tamen errore typothetico *funere* legitur:

sic Poeni contremiscunt artibus universim:
magni metus tumultus pectora possidet;
. . . . caesum funera agitant
exsequias ititant, temulentiamque tollunt
festam.

1) *l. l. pag.* 417. 2) *l. l. pag.* 632. 3) *s. v. metus pag.* 214 *Merc.* 145 *Gerl.* 4) *fragm. trag. p.* 91. 5) *Walther ad Tacit. Germ.* 26.

Spangenbergius:

sic Poenei contremiscunt artibus; universim
magnei metus tumultus pectora possidet;
celsum funera agitant; exsequia ititant,
temulentiamque tollunt festam.

Alterum versum hypermetrum puto [1], et, transposito tertii versus initio, ita versus constituo:

sic Poéni contremíscunt ártibus; univérsûm
magní metus tumúltus péctora possidét; caesûm
agitánt funera, exsequías ititánt temulentiámque
tollúnt festam.

Temulentia festa ea est, qualis festis diebus esse solet [2].

Pertinet fragmentum ad Poenos, navali proelio, duce Hannibale, iterum prostratos, quam propter pugnam Hannibal in crucem a civibus suis fixus est [3].

6.

Festus [4]: *stuprum pro turpitudine antiquos dixisse apparet, Naevius*:

seséque ii períre mávolunt ibídem
quam cúm stupro redíre ád suos populáres.

Strupro codex; *stupro* recte Ursinus. Pro altero *redire* Bothius [5], ut hiatus, qui in diaresi offendere neutiquam potest, vitetur, *rebitere* conjicit, quod vocabulum magis Naevianum dicit [6]. Sed necesse est *perire* etiam in *perbitere* mutet, si sibi constare vult.

Ad Regulum a Carthaginiensibus pacis conciliandae causa Romam missum, ad quartum igitur carminis librum, versus pertinere Spangenbergius statuit, qua in re, ut in omnibus fere, quae ad quinque posteriores libros pertinent, nec non in iis, quae e prioribus libris citantur, sequentem habet Schuettium, qui, quamvis de fragmentis in justum locum restituendis

---

1) *fragm. Pun. bell.* I. 6; IV. I. 2) *Bach ad Ovid. Metamorph.* XII. 214; *Walther ad Tacit. Annal.* III. 9; V. 4; *Doederlein Lat. Synonymik* IV. *pag.* 400; *Goeller ad Ciceron. Orat. pag.* 196; *Plin. Epist.* II. 17; *Ovid. Met.* III. 528 (*festi clamores, ululatus*). *Boetticher lexic. Tacit. pag.* 198. 3) *Polyb.* I. 24; *Oros.* V. 7; *Enn. Ann.* VII. 64. *Sp.* 4) *s. v. stuprum pag.* 317. *M.* 5) *fragm. trag. pag.* 96. 6) *Duentzer Liv. Andron. fragm. pag.* 79.

desperare se profiteatur, Spangenbergii tamen vestigia ubicunque fere premit. At ipsa verba repugnant. De uno enim Regulo poenas Carthaginenses sumsisse et unicum Romanum cum compluribus Poenis Romam missum esse, referunt quicunque de his rebus scripserunt [1]); de compluribus autem dicit Naevius. Quae cum ita sint, non dubito, quin versus e tertio libro sit, quo poeta de A. Atilii Calatini ejusque exercitus ad Camarinam summo discrimine cecinit. His enim in angustiis, mortis discrimine proposito, toti exercitui Caudinae cladis imago ante oculos versabatur; sed mori maluerunt, quam, sub jugum missi, domum turpiter redire [2]).

Bothius [3]) versus e fabula quadam depromtos esse putat.

7.

Priscianus [4]): *hic et haec Samnis, hujus Samnitis. Hujus neutrum Naevius Samnite protulit in carmine belli Punici.* Idem Priscianus alio loco [5]): *Naevius,* ait, *neutraliter hoc Samnite protulit in carmine belli Punici.*

His ex verbis miro quodam modo et Spangenbergius et Schuettius Naevianum fragmentum ita restituerunt *hoc Samnite*, cum tamen pronomen illud neutrum modo genus indicet. Prior Prisciani locus omnes fugit editores. In altero autem septimum Naeviani carminis librum laudari apud Schuettium legitur, nescio quo jure, cum in Krehliana, quam praesto habeo, editione libri indicium desideretur. Spangenbergius [6]) locum, quo hoc vocabulum positum fuerit, non indagari posse putat.

Blumius [7]), conjecturae suae de expeditione Samnitica, quam et ipsam in carmine de bello Punico Naevium cecinisse nullo, ut supra [8]) demonstravimus, jure statuit, nimis confisus, hoc etiam vocabulum *Samnite* illo loco positum fuisse arbitratur, addens, nemi-

1) *Liv. Epit.* XVIII; *Flor.* II. 2. 23; *Eutrop.* II. 14; *Valer. Max.* I. 1. 14; *Cicer. pr. Sext.* 60; *Oros.* IV. 10; *Sil. Ital.* VI. 474; *Zonar.* VIII. 15; *Diodor.* XXIV. 2; *Beier ad Cic. de Off.* III. 27 *pag.* 372. 2) *Freinsheim ad Flor.* II. 2. 13; *Suppl. Liv.* XVII. 23; *Fabricius ad Oros.* IV. 8; *Lachmann de font. Liv. pag.* 42; *Lion ad Gell.* III. 7. 1. 3) *fragm. trag. pag.* 96. *com. pag.* 24. 4) VI. 12. *pag.* 261. 5) VII. 12. *pag.* 332 *Krehl.* 6) *l. l. pag.* 205. 7) *l. l. pag.* 55. 8) *pag.* 28 *et* 51.

nem adhuc de loco, quo poni potuerit, certum aliquod potuisse excogitare. Ego quidem non dubito, quin hoc quoque frustillum ad illum pertineat locum, qui (ut e multis, quae servata ex eo habemus, fragmentis, et ex ipsa re gravissima, et ex eo concludi potest, quod firmissimum laudis, qua hic vir apud cives suos floruit, superest monumentum)[1]) ex ornatissimis totius carminis erat, ubi de A. Atilii Calatini exercitu incluso et divina paene Leonidae Romani, Calpurnii Flammae tribuni, virtute servato, de qua re ad id, quod praecedit, fragmentum verba fecimus, cecinit Naevius. Vox enim *Samnite* haud dubie ad furculas Caudinas et ad Samnite jugum alludit.

8.

Festus[2]) postquam aliud fragmentum Naevianum e carmine de bello Punico[3]) laudavit, ita pergit: *item*

sin illos deseránt fortissumos virórum,
magnúm stuprum populó fieri per gentes..

Scripsi versus cum Hermanno ex emendatione Scaligeri[4]), qui bene *virorum* pro *viros* restituit; Merula *eiorum* conjecerat; *deseritis* Scaliger et Grotius; *magnum inde* et *poplo* Scaliger; *magnumque* Grotius; *stuprum tum* Vossius; *pergentis* codex, *pergetis* vulgo e conjectura Ursini, *per gentis* Huschkius. Spangenbergius, Merulam suum secutus, hanc loco, cui non opus me dela, medelam adhibuit:

sin illos deseritis fortissimos eiorum,
magnum inde stuprum poplo fieri pergetis.

Idem vir quo jure haec verba Reguli esse dicat, in Senatu de redimendis captivis verba facientis, ipse videat. Quid tandem a Senatu, apud quem Regulus suam sententiam exposuisse dicitur, antea in populum commissum erat flagitium, ut, ne pergat, a Regulo admoneri posset? Nihilominus hoc etiam loco pedetentim sequitur Schuettius. Verba, qualia supra scripsi, Calpurnii Flammae, tribuni militum, sunt, quem milites suos cohortatum esse narrat, ne consulem cum fortissimo exercitu inclusum derelinquerent, sed, quantum penes ipsos esset, impedirent, quo minus, Romano

1) *Otto ad Cicer. de Fin.* II. 35. 2) *pag.* 317. *M.* 3) III. 6. 4) *apud Stephan. l. l. pag.* 236.

exercitu sub jugum misso, *magnum Romano populo per gentes stuprum fieret*. Eundem autem verbis gravissimis milites suos admonuisse P. Manlius Torquatus apud Livium [1]) narrat.

Infinitivi *fieri* antepenultimam produxit poeta [2]).

Bothius [3]) hoc quoque fragmentum inter fabularum reliquias recenset.

6.

Nonius [4]): *gratulari, gratias agere. Naevius belli Punici libro tertio:*

. is qui sursum ad coélum sústulit suás res
Atílius gratulábatùr divis.

Ita e conjectura scripsi. Libri *Ammullus*, unde Stephanus [5]), Hermannus, Niebuhrius, Schuettius *Amulius*, cui nullus tertio in libro locus; *Aemilius* Krausius [6]), quamvis hic anno demum CDLXXXXIX u. c. memoretur [7]), igitur in librum quartum relegandus sit; *Romulus* conjecit Mercerius [8]); *Mamilius* Spangenbergius. Equidem cum Merula *Atilius* scripsi. Praeterea *isque* editio Veneta 1496; *manus sursum* Merula [9]) praeeunte Stephanus, qui *suas rex* conjecit sequentibus Hermanno, Spangenbergio, Krausio; *suas manus* conjectura Duentzeri; *gratulatur* Hermannus et Schuettius.

Prior versus capite mutilus est. Refert poeta de Atilio Calatino, quem ipse magnum et omnibus venerabilem viderat, ut monumentum in ejus sepulcro positum testatur, in quo ejus elogium ita scriptum fuisse Cicero [10]) narrat: *unum hunc plurimae consentiunt gentes populi primarium fuisse virum* [11]). Itaque utitur Naevius, quem singulari quodam studio res ab Atilio Calatino gestas cecinisse ipsumque amplexum fuisse supra exposuimus [12]), prolepsi quadam, unde recte *sustulit*, non *sustulerat* dicit, cum verba illa: *qui sursum ad coelum sustulit suas res* epitheton tantum Calatini

1) XXII. 60. 11. 2) *Lindemann de vet. Ling. Lat. prosod. pag.* XX. 3) *fragm. trag. pag.* 96; *fragm com. pag.* 24. 4) *s. v. gratulari pag.* 116 *Merc.*; 80 *Gerl. et Roth.* 5) *l. l. pag.* 215. 6) *l. l. pag.* 143 *not.* 7) *Polyb.* I. 36; *Eutrop.* II. 22; *Zonar.* VIII. 14. 8) *ad Nonium pag.* 679. 9) *l. l. pag.* 420. 10) *Cat.* XVII. 61; *de Fin.* II. 35. 116. 11) *Visconti monumenti degli Scipioni Tavol.* V. *pag.* 14. 12) *pag* 20.

sint ipsumque divinum fuisse virum affirment. Cave igitur, ne ea de pugna ipsa modo pugnata intelligas. Gratias autem Diis agit Atilius de felici eventu, quo propter tribuni sui virtutem ex angustiis Camarinensibus evaserat, qua in re rectum jam viderat Spangenbergius.

De verbo *gratulaudi* singulari hac notione disputarunt Westerhovius [1]) et Dukerus [2]).

Fragmenta libri quarti.

1.

Nonius [3]): *concinnare, conficere vel colligere* [4]). *Naevius belli Punici libro quarto:*

transit Melitam Románus exércitus, insulam íntegram
urit, populatur, vástat, rem hóstium concínnat.

Versus, quorum alter hypermeter est, disposuit Hermannus [5]). Spangenbergius ex emendatione Merulae [6]), qua opus non est:

transit Melitam
Romanus exercitus, insulam integram urit, populat
et vastam rem hostium concinnat.

Schuettius:

transit Romanus exercitus, Melitam insulam
urit, populatur, vastat, rem hostium concinnat.

Canit poeta de Reguli exercitu in Africam transducendo eoque Liparam Melitamque pervagante atque depopulante [7]).

2.

Nonius [8]): *auspicavi pro auspicatus sum* [9]). *Naevius belli Punici libro quarto:*

virûm praetor advéniet; aúspicât auspícium
prosperúm

Ita libri; margo Junianae *verum*, quod Naevio vindicandum putant Hermannus, Duentzerus, Schuettius;

---

1) *ad Terent. Heaut.* IV. 1. 6. 2) *ad Flor.* IV. 3. 5; *cf. Priscian.* VIII. 7. 37. 3) *s. v. concinnare pag.* 90 *Merc.*; 63. *Gerl.* 4) *cf. Gebhard ad Liv.* XXVIII. 39. 3. 5) *fragm. P. b.* I. 6. 6) *l. l. pag.* 421. 7) *Oros.* IV. 8. 8) *s. v. auspicavi pag.* 468 *Merc.* 318 *Gerl.* 9) *Plaut. Capt.* III. 5. 109.

ubi cum conjecit Merula, probantibus Bothio et Spangenbergio; *adveni et auspica* margo Junianae, unde *advenit* Merula, Herm. Both. Spang.; *advenit et* Duentz. probante Schuettio; *auspiciat* liber Mercerii; legendum *auspicait* vel *auspicât,* quae est perfecti forma contracta [1]); *prosperum* uncis inclusum invenitur in editione Hadr. Junii Plantiniana et Parisina 1511 prima, quare exsecandam hanc vocem statuunt Hadrian. Junius, Merula, Herm., Both. Schuett. Injuria. Cum enim haec vox, si substantivum suum proxime sequitur, in metrum includi non possit, sejungenda est aut in bisyllabum contrahenda, quae contractio saepius ante literam caninam invenitur [2]). Nominis autem *praetor* ultima producitur [3]).

In explicando autem hoc fragmento omnes interpretes, utpote spretis Naevianis verbis sua commenta illustrantes, falsos esse mihi quidem persuasissimum habeo. Ipso enim Naevio narranti hunc versum tribuunt, quamvis futurum *adveniet* docere eos poterat, non de Regulo auspicia captante sermonem esse. Malunt autem multi hodieque critici ea, quae non statim intelligunt, mutare, ut sententiam suam temere conceptam veteribus obtrudant scriptoribus, quam caute timideque eam, quae cum scriptorum verbis optimis optime congruat, sententiam circumspicere. Equidem hac in re timidum me quam calidum haberi malo. Quae cum ita sint, verba illa speculatoris cujusdam Romani esse videntur, qui Regulo, aciem instruenti, Xanthippum, quippe cui prosperum auspicium contigerit [4]), mox adventurum esse refert. Nam de Xanthippi nuncio quodam ne cogitemus, adjectivum *prosperum* vetat.

3.

Nonius [5]): *vicissatim, per vices. Naevius belli Punici libro quarto:*

vicissátim volvi victóriam

---

1) *Lindemann de vet. Lat. ling. prosod. pag.* XXV; *Becker de com. Rom. fab. pag.* 11; *Duentzer et Lersch l. l. pag.* 32; *Bothe ad Terent. Phorm.* I. 2. 5; *Titin. Setin. frag.* 8 *Neuk.* 2) *Th. Bergk in Zeitschr. für Alterth.* 1842. *pag.* 187. 3) *Koene in Z. f. A.* 1841. *pag.* 1291. 4) *de more veterum, antequam proelium committerent, auspicia auspicandi cf. Liv.* I. 36. 6; VI. 41. 4; *Duncan's Roma, von Heusinger pag.* 161. 5) *s. v. vicissatim pag.* 183 *Merc.,* 124 *Gerl.*

Ita recte Hermannus. Finem versus agnoscere sibi videntur Merula et Spangenbergius:

.... *vicissatim volvi victoriam.*

Non sine magna veri specie Reguli haec verba fuisse statuunt Merula et Spangenbergius, quamquam in eo vehementer falluntur, quod Reguli ea esse dicunt apud Senatum Romanum de infelici, qua a Xanthippo victus erat, pugna disserentis. Regulum enim anno demum DIV. pacis petendae causa Romam missum esse constat, quo anno quae facta erant, in quinto libro exposuit Naevius. An verba ipsius Reguli sint, dubito; sunt autem reputantis humanarum rerum vicissitudines.

4.

Nonius[1]): *danunt, dant. Naevius belli Punici libro quarto:*

eám carnem victóribús danunt . . .

Spangenbergius cum Merula suo[2]):

.... *eám carném victóribu' dánunt.*

falsissime; si enim exempla a Nonio praeter hoc Naevianum citata inspexisset, facile edoctus fuisset, primam verbi *danunt* corripi[3]). Risum mihi movit Merulae de hoc fragmento commentum, quod tamen nec Spangenbergius, qui Merulam, nec Schuettius, qui Spangenbergium sequi solet, respuerunt. Carnem enim serpentis illius intelligit, quod monstrum cum magna militum jactura apud flumen Bagradam a Regulo interfectum esse narrant[4]). Addunt autem quicunque fere de hoc re tradiderunt, legiones Romanas propter foetorem jacentis bestiae, cujus detractum corium Romam spoliorum instar missum est, et propter aquas tabe inde infectas, totam illam regionem fugisse. Neque quid Merulam commoverit, video, ut carnem draconis victoribus dono datam esse sibi informaret. Quid tandem? ut comederent serpentem? Quodsi Merula ad versum, quem cum hoc fragmento conjungit, provocat, in quo *atro-*

---

1) *s. v. danunt pag.* 97 *M.* 68 *G.* 2) *l. l. pag.* 425. 3) *Plaut. Pseud.* III. 1. 1; *cf. Asin.* III. 3. 81; *Men.* III. 3. *extr.*; *Poen. V.* 4. 83. 4) *Polyb.* I. 29; *Liv. Eptt.* XVIII; *Val. Max.* I. 8. 19; *Gell.* VI. 5; *Plin. hist. nat.* VIII. 14; *Flor.* II. 2. 20; *Iul. Obseq. c.* 29; *Niebuhr R. G.* III. *pag.* 690.

cia exta poeta dicit, eaque ideo sic vocata putat, quod in iis civium haustorum fragmenta conspiciebantur, duplici modo Nonii contemnit auctoritatem. Alterum enim, quem addit, versum, in tertio carminis libro [1] sedem suam habuisse et atrocia exta propter cruditatem dicta fuisse Nonius [2] affirmat.

Versus non ad Regulum, sed ad Servium Fulvium et M. Aemilium Consules pertinere videtur, qui cum ad Hermaeam Poenos navali proelio vicissent [3], ingentique praeda potiti essent, mox tamen, fame laborantes [4] relicta Africa Siciliam petierunt. Victori igitur exercitui ea, quae supererat, caro distributa esse videtur. Sed nihil affirmo in re tam obscura.

5.

Calpurnius Piso [5]: *scripsit Cn. Sanga* [6] *libro quarto de bello Punico*:

inhóspitalis victricés absorbet únda
Latiú'm legiones hémonum.

Ita recte emendavit hos versus, sive Calpurnii, sive ipsius Merulae sint, Merula. In libro enim Calpurnii manuscripto legi dicit *victrix es* et *neminum.*

Respiciunt hi versus ingens illud Romanae classis, ducibus Fulvio et Aemilio Consulibus in Sicilium redeuntis, ad Camarinas naufragium [7] Eodem spectant, nisi fallor, elegantissimi versus, quos servavit:

6.

Festus [8] *topper significare ait Artorius cito, celeriter. Sic C.* (leg. Cn.) *Naevius ....; sic in eodem:*

námque nullum péjus
macérat hemonem quámde [9] *máre saevum* [10], *virés cui*
sunt mágnae, topper cónfringént importunae úndae.

Versus disposuit Hermannus. Liber manuscriptus *viret* et *humanum*; *neilum* restitutum prisco aevo vult Scaliger, *homonem* idem; *macit* Ursinus. Schuettius hos ver-

1) *fragm.* III. 2. 2) *pag.* 76 *M.* 54. *G.* 3) *Polyb.* I. 36. 4) *Eutrop.* II. 22; *Oros.* IV. 9; *Zonar.* VIII. 14: *Diodor.* XXIII. *ecl.* 14. 5) *citante Merula l. l. pag.* 45. 6) *cf. pag.* 5. 7) *Polyb.* I. 37; *Flor. Eutrop. Oros. Liv. Diodor. ll. ll.* 8) *s. v. topper pag.* 352 *Muell.* 9) *Bothe ad Plaut. Amph.* III. 4. 2. 10) *cf. Becker de com. Rom. fab. pag.* 11.

sus offert, constitutos illos secundum Odofr. Muelleri sententiam:

namque neillum
peius macit homonem quamde mare saevum
vires cui sunt magnae, topper confringent
importunae undae.

Hermannus, qui propter similem locum Homericum [1]) hos versus Livii Odysseae vindicat [2]), sic apud Festum legendum esse putat: *sic in Odyssea*; qua in re sequentem habuit Bothium [3]). Sed nulla, cur Naevio hi versus abjudicentur, causa est, cum in aliis etiam Homerum, omnium poetarum exemplum, imitatus esse videatur [4]). Apud Spangenbergium totum fragmentum desideratur.

7.

Varro [5]): *ratis, navis longa, dixit ut Naevius, cum ait:*

. . . . confèrre queánt ratem aeratám, qui
perit ét qui, dum mare súdantés eunt atque sedéntes.

Naevius codd. Haun. et Petri Victorii, editio Augustini et margo Vertranianae; *Neuuius* (sic!) Florent.; *Ennius* editiones veteres omnes, excepta editione Augustini; *conferreque aut* Florent. et Haun.; *conferre aut* cod. Victor. et editt. vett.; *peritet* margo August. *petitet* Vertran. errore typoth.; *quiverit et* Scioppius; Flor. et Haun. *perit et*; *quidem mare* Sciopp.; *qui per mare* Turneb. *suadentes eunt* editt. vett.; *ruunt* Sciopp.; *sedantes* Flor. et Haun. Scaliger longos versus restituit sic:

rate moerataque perite
per liquidum mare eant sudantes atque sedentes.

Metrum Saturnium est, quod cum contemsisse Ennium constet [6]), versus Ennianos neutiquam esse apparet. Nihilominus non defuere, qui cum Scaligero versus in Ennii gratiam mutare, quam incorruptos Naevio restituere vellent. Ita Spangenbergius [7]):

conferta pulcre rate inaerataque perite
per liquidum mare eunt sudantes atque sedentes.

---

1) *Odyss.* VIII. 131. 2) *l. l. pag.* 623. 3) *fragm. trag. pag.* 19. 4) *cf. fragm. Pun. bell.* II. 11. 5) *pag.* 308 *et* 309 *Speng.* 6) *Cicer. Brut.* XVIII. 71. 7) *Enn. annal. fragm.* VII. 47.

quos versus ad instructam Duilii classem pertinere credit, qua in re consentiente gaudet Muellero[1]), qui aliter tamen emendat:

non ferre queant ratem aeratam, qui
per liquidum mare sudantes atque eunt sedentes

De Schuettii judicio non liquet.

Metrum Saturnium bene sese habet, modo ultimam vocis *sudantes* arsi productam esse statuas.

Pertinet hoc fragmentum ad naufragium illud miserabile, post quod, exhaustis fere reipublicae opibus, a privatis naves exstructas fuisse narrant[2]). In verbis autem Naevianis legem illam agnoscere mihi videor, qua ferenda novam sibi classem Romani paraverunt. Ji enim, qui quo loco versarentur aut num omnino in vivis essent, incertum erat, et qui, dum ceteri cives navali militia sudarent aut in urbium obsidionibus sederent[3]), domi remanserant agri colendi causa (ita enim ea refingo, quae post alterum pronomen in fine desunt; nam Regulum quoque, quod ager suus incultus jaceret, a populo quaesivisse, ut ab exercitu abesse sibi liceret, constat[4])), naves conferre suo sumtu vel ipsi vel heredes cogebantur. *Pereundi* autem verbum de iis adhiberi, qui evanuerunt vel, ut nos dicere solemus *die verschollen sind*, itaque capitis deminutionem patiuntur, notum est[5]).

Fragmenta libri quinti.

1.

Priscianus[1]): *acer et alacer, saluber et celeber communis etiam generis inveniuntur prolata. Naevius in carmine belli Punici:*

fames ácer
augéscit hostibús.

---

1) *ad Varr.* VII. 23. 2) *Diodor.* XXIII. *ecl.* 14. 3) *de hoc hujus verbi usu cf. van Staveren ad Corn. Nep. Datam.* VIII. 1; *Corte ad Lucan.* II. 473. 4) *Liv. Epit.* XVIII; *Horat. Od.* III. 5. 38, *qui locus hoc modo explicandus est; Valer. Max.* IV. 4. 6. 5) *Forcell. lexic. s. h. v., qui Plautum citat, locum vero nescire se fatetur, qui est Capt.* III. 4. 5; *add. Poen.* V. 2. 115; V. 7. 5; *Rud. prol.* 39. 6) *Priscian.* V. 3. *pag.* 179 *et* VI. 7. *pag.* 246. *Krehl.*

Merula [1]), Spangenbergius et Schuettius

fames acer augescit hostibus

ἀμέτρως. Recte tamen quinto libro hoc fragmentum adscripsit Spangenbergius. Pertinet enim ad famem, qua Poeni, Panormi inclusi, laborasse dicuntur [2]) anno post urbem conditam D.

2.

Nonius [3]): *Naevius belli Punici libro sexto:*

supérbiter contémtim cónterit legiónes

Nulla lectionis varietas in editione Gerlachiana annotata est, ut hoc etiam loco non possis, quin levitatis cujusdam duumviros illos editores incuses. Legitur autem hac in editione *superviter* [4]), apud Mercerium *superbiter*. In aliis libris manuscriptis (nescio quos dicant) librum *quartum* citari asseverant Spangenbergius Schuettiusque; immo, Gebhardus [5]) *quintum* in libris suis invenit. Fretus igitur hujus viri auctoritate, refero hoc fragmentum ad librum quintum, improbata Merulae ejusque asseclarum sententia, qui hunc versum ad illud prope Camarinam naufragium pertinere arbitrantur. *Conterendi* enim verbum satis indicare videtur, non de undarum et tempestatum, sed de elephantorum vi sermonem esse [6]). Quae cum ita sint, ad exeuntis anni DIV. descriptionem, quo ad Panormum autumnali tempore Poeni a Metello prostrati sunt, hos versus spectare puto; initio enim pugnae elephanti in Romanos irruerunt, mox a Metello devicti et in suos retrusi. Quantum autem etiam tum Romanis harum bestiarum metus fuerit, omnes fere notarunt scriptores [7]).

---

1) *l. l. pag.* 435. 2) *Frontin. Strateg.* II. I. 3) *s. vv. superbiter et contemtim pag.* 515. 10 *et* 33 *Merc.*, 352 *et* 353 *Gerl.* 4) *Walther ad Tacit. Annal.* XIII. 10 *et Ind.* IV. *pag.* 428; *Duker ad Flor.* IV. 12. 49. *pag.* 837. *ed. Lips.*; *Osann Beiträge zur Griechischen und Römischen Literaturgesch.* II. *pag.* 255 *sqq.* 5) *ad Liv.* XXIII. 43. 10 *Drak.* 6) *Gebhard l. l.* 7) *Polyb.* I. 33 *et* 40; *Camers. et Freinsh. ad Flor.* II. 2. 28; *Fabric. ad Oros.* IV. 9.

Fragmenta libri sexti.

1.

Nonius [1]) *ilico, in eo loco. Naevius belli Punici libro sexto:*

. séptimum decimum ánnum - ílico sedént.

libro tertio et *septimm annum* cod. Bernens. *Nonius* Ald. [2]). De restituendo metro, quamquam egregie, nulla voce mutata, Hermannus praeierat, desperat Schuettius; Spangenbergius cum Merula suo:

septimum decimum annum
ilico sedent.

De pacis conditionibus agi Spangenbergius putat, frustra, cum anno demum vigesimo quarto pax per Lutatium Consulem facta sit. De belli autem anno septimo decimo sermonem esse, ex ipsis verbis Naevianis luculenter apparet. Anno igitur DVI., qui est post bellum initum decimus septimus, C. Aurelius Cotta, P. Servilius Geminus Consules, teste Zonara [3]), Siciliam placide obtinebant, ab eaque insula Poenos arcebant, qui, postquam duce Carthalone Siciliae aditum tentassent, ut Consules a statu suo detraherent, in Italiam transierunt ejusque litora longe lateque vastarunt [4]). Frustra. Consules enim per totum annum in Sicilia *sederunt* i. e. otiose, non conserta cum hostibus manu, eam obtinuerunt [5]).

2.

Nonius [6]): *loci generis sunt masculini. Naevius belli Punici libro sexto:*

.' convenit, régnum
simul átque locos ut habérent .' . . . .' .

Merula [7]) conjecit *libro septimo*, approbantibus Spangenbergio et Schuettio; *locos non haberent* cod. Leidensis; *haberet* Merula ejusque pedissequus Spangenb.

Metrum quamquam bene constituit Hermannus, desperat tamen de restituendo eo Schuettius. Praebent autem verba bonum versum heroicum, ut complures

---

1) *s. v. ilico pag.* 325 *Merc.* 222 *Gerl.* 2) *cf. Merula l. l.* 436. 3) VIII. 16. 4) *Oros.* IV. 10. 5) *Benecke ad Iustin. Phil.* XXXI. 3. 9; *Kiessling ad Theocrit.* VI. 9; *Dissen ad Pind. Olymp.* I. 83. 6) *s. v. loca pag.* 211 *M.* 143 *G.* 7) *l. l. pag.* 439.

Livii Andronici versus Saturnii [1]), unde ante Ennium poetas Latinos longo versu usos fuisse cave concludas [2]).

Sermonem esse de foedere a Romanis cum Hierone rege icto, bene perspexit Merula, cum quo tamen Spangenbergius in eo vehementer erravit, quod in septimo libro locum suum habere hoc fragmentum putaverunt, ita ut, pacta cum Carthaginiensibus pace, Hieronem regnum suum retinere jusserint Romani, cum reliqua Sicilia in provinciae formam redigeretur. Anno enim DVI. u. c. Romanos foedus cum Hierone iniisse diserte narrat Zonaras [3]), cujus anni descriptio cum in sextum carminis librum incidat, huic libro hunc locum vindicandum censui.

Simul pro *una* fere dictum est [4]).

3

Nonius [5]): *censere significat existimare, arbitrari. Naevius Punici belli libro sexto:*

censént eo ventúrum óbviam Poenum.

Henricus Stephanus in suis libris *Poenum* desiderari affirmat. Mercerius *Poenum;* nihil annotatum in editione Gerlachiana. Spangenb. et Schuett. *Poeni*, conjectura, ni fallor. Hermannus, evitato in diaeresi hiatu:

censént eo venturum óbviám Poenum.

Mecum fere Schuettius, quamquam pessumdato accentu:

censént eó ventúrum óbviám (Poéni).

Idem apud Spangenbergium legitur versus, qui tamen vocem *Poeni* uncis liberavit.

Spangenbergius versum ad Poenos refert, qui Lutatium, pacis conditiones afferentem, obviam sibi venturum non immerito existimaverint. At de pace ultimo demum libro agebatur. Mihi quidem hoc fragmentum ad Fabium Buteonem pertinere videtur, Dre-

---

1) *Osann anal. crit. pag.* 33. 2) *cf. pag.* 38. 3) VIII. 16. 4) *Kritz ad Sallust. Catil.* 20. *pag.* 105. 5) *s. v. censere pag.* 267 *M.*; 182 *G.*

panum obsidentem, qui ad defendendum oppidum accursurum esse Hamilcarem exspectabat, in quo eum spes non fefellit [1]).

Fragmenta libri septimi.

1.

Festus [2]): *sagmina vocantur verbenae, id est herbae purae, quia ex loco sancto arcebantur a Consule Praetoreve legatis ad foedus faciendum bellumque indicendum vel a sanciendo, id est confirmando. Naevius:*

iús sacratum Jovís jurándum sagmine.'

quem versum ita exhibet Schuettius:

. jus sacrátum
Jovís jurandum ságmine.

Muellerus mavult:

Jovis sacratum jusjurandum sagmine.

ut senarius versus evadat.

Schuettius, quod eodem loco apud Paulum Diaconum alius versus Naevianus [3]) legitur, hunc cum illo conjungendum statuit. Frustra. Utrumque enim versum non cohaesisse vox *sagmina* in utroque versu ineleganter repetita, Schuettium docere debebat. Excidisse autem in Festo *ante* hunc versum illum, a Paulo servatum, Muellerus arbitratur, qua in re fallitur Vir Clarissimus. Sin enim versus iste excidit, non dubito, quin *post* hunc versum exciderit. Nam sagminibus usos esse Romanos dicit tum ad foedus faciendum, tum ad bellum indicendum. Hunc autem versum ad foedus faciendum [4]) pertinere patet; quis enim in bello indicendo locus est jurijurando? Quae cum ita sint, illum versum ideo a Festo allegatum fuisse, si unquam fuit, puto, ut alterum sagminum in bello indicendo usum exemplo comprobaret. Ceterum *Jovis* a *jusjurandum* pendet: Ζηνός γέ τοι ὅρκια πιστά.

---

1) *Polyb.* I. 58; *Zonar.* VIII. 16. 2) *s. v. sagmina pag.* 321 *Muell.* 3) *fragm.* II. 14. 4) *Polyb.* I. 62 *sqq.*

2.

Nonius [1]): *Naevius belli Punici libro septimo:*

id quóque paciscunt móenia, út sint, quae Lutátium
recóncilient; captívos plúrimos Siciliénses
pacíscit, obsidés ut réddant.

Tanta est hoc loco lectionum varietas, ut corruptelarum nidulum exscribere pigeat fere: *ut* emittunt editt. Parm. Ald. Jun. et Hermann.; *paciscunt Poeni, atque Lutatium rec.* conj. Duentz.; *menias sitque luctantium* ed. Venet., unde Herm. conjec. *moenia assint, quae; reconciliant* libri; *reconcilient* conj. Merula; *plurimos idem Sicil.* cod. Guelferb.; *Cicilienses* ed. Plant. *idem* omittit Mercer.; *id* ed. Venet.; *eidem* conj. Herm. Versus digesserunt ita: Merula [2]) ejusque sectator Spangenbergius:

id quoque paciscunt Poenei a Siculeis, quo Lutatium
reconcilient
capteivos plurimos Sicilienses paciscit,
ut reddant obsides,

Hermannus, sequente Schuettio:

id quoque paciscunt, moenia assint, quae Lutatium
reconcilient, captivos plurimos eïdem
Sicilienses paciscit, obsides ut reddant.

Facillima mea mihi videtur versuum dispositio, in qua noli mirari correptam vocis *plurimos* ultimam [3]). Sermo est de pace per Lutatium facta [4]).

3.

Gellius [5]): *quem* (sc. Naevium) *M. Varro in libro de poetis primo stipendia fecisse ait bello Punico primo, idque ipsum Naevium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit.*

Omiserunt hunc locum editores omnes. Quo autem loco sui poeta meminerit, dubius sum; quamquam certum esse mihi videtur, aut in initio, aut in fine totius carminis id factum esse. Malo tamen ad finem ultimi libri sui mentionem fecisse Naevium putare. Quamvis enim, quoquo loco hoc factum sit, nihilomi-

1) *s. v. paciscunt pag.* 474 *Merc.* 322 *Gerl.* 2) *l. l. pag.* 439. 3) *Becker de comicis Romanorum fabulis pag.* 14 *et* 19. 4) *Polyb. l. l.* 5) XVII. 21. 45.

nus, ut postea docebitur, ab epica carminis indole poeta deflectat, minus tamen illud fieri videtur, si sui sub finem, quam statim in initio carminis, meminit. Sui ipsius enim mentionem injicere, lyrici magis quam epici poetae est [1]).

Fragmenta, quae cui libro adscribenda sint, incertum est.

1.

Varro [2]): *apud Naevium:*

átque priús pariet locústa
Lucám bovem.

Luca bos est elephas [3]).

Codices Florent. Haun. Goth. Paris. a et b. nec non Scioppius *Naevium*, cod. Vict. editt. princ. vetust. Schol. Venet. I. et II. Ald. Bas. Par. Gryph. Rom. Vertran. *Ennium* exhibent; *locustam* cod. Haun. Goth. et Paris. b; *lucusta* Paris. a.

Spangenbergius [4]) Ennio versum adscribit, qua de causa metri gratia versum ita mutare coactus est:

atque prius pariet Lucam locusta bovem, quam.

Versus Saturnius est, in quo *prius* in unam syllabam legendo contrahitur [5]).

Verba comparationi inserviunt de re, quae fieri omnino nequit.

2.

Varro [6]): *Naevius:*

patrém suum suprémum-óptumum appéllat..

Ita Codd. Flor. Haun. Paris. a et b. sequente Schuett.; *optimum appellat supremum* cod. Victorii, editt. princ. vetust. Rholand. Venet. I et II. Ald. Bas. Par. Gryph. Rom. Vertran. Spang. qui *Jovem* iusuper conj. addit;

---

1) *cf. Virg. Georg.* IV. 559. 2) *de ling. Lat. pag.* 325. *Speng.* 3) *Columm. Rostr. LVCAES BOVEBOS; Baehr ad Plutarch. Pyrrh.* 15. *pag.* 184. 4) *Enn. annal. fragm.* VII. 89. 5) *Ritter element. gramm. Lat. pag.* 116. 6) *de ling. Lat. pag.* 336. *Speng.*

supremum appellat Scioppius; *supremum appellat optimum* conj. Spengel.

Versum cur de Duilio, Jovem patrem imprecante, Spangenbergius intellexerit, nulla, si quid video, causa est. Ad Venerem potius verba pertinere ut credam, inducit me pronomen *suum*. E primo igitur libro, non e tertio, ea desumta esse suspicor [1]). Quae conjectura quam sit lubrica et certis argumentis destituta, cum plane perspectum mihi habeam, non repugnabo, si quis hunc versum alii loco adscribere mavult, aut ei, ubi a Didone Aenean suum avellere mater nititur, aut ubi pro ipsis Romanis suis tum, cum a Poenis premuntur, patrem suum invocat, dummodo illud teneatur, ad Duilium haec verba non pertinere, sed ad Venerem. Sed movent me ea, quae de Veneris ad patrem oratione, qualis apud Virgilium [2]) legitur, refert Macrobius [3]), ut primo libro adscribere hoc fragmentum malim. Apud Bothium [4]) inter tragoediarum reliquias recensetur.

3.

Festus [5]): *quianam pro quare et cur positum et apud antiquos, ut Naevium in carmine Punici belli:*

súmme Deûm regnátor
quianám genus isti [6].

in quo fragmento *genus isti* cum Merula [7]) et Hermanno, Spangenbergio et Schuettio in *genuisti* mutare dubitavi. Nimis audax enim esse videtur, ea mutare, quae ne satis intelligas quidem. Nam cum nesciamus, pronomen *isti* utrum singulari an plurali numero accipiendum hoc loco sit, immo, utrum Punici an Romani hominis an Dei verba sint, malo et libri manuscripti lectionem tueri quam temere mutare, et incertum relinquere, cui loco hoc fragmentum assignandum esse videatur, quam, ut Spangenbergius, conjecturas excogitare, quae veri ne speciem quidem prae se ferunt. Quippe hic versum ad Duilium spectare putat, qui e Jove quaerat, cur Poenos genuerit.

---

1) *cf. fragm.* I. 11. 2) *Aen.* I. 228 *sqq.* 3) *Saturn.* VI. 21. 4) *fragm. trag. pag.* 95. 5) *pag.* 257 *Muell.* 6) *l. l. pag.* 416. 7) *l. l. pag.* 636.

4.

Paulus Diaconus [1]: *runa genus teli significat.* Eodem loco Festus [2]: *Naevi*(us) . . (idem po) *suit.* Verba admodum mutila sunt, ita tamen, ut, Naevium voce *runa* usum esse, inde cognosci possit. Nescio, an vox, quae Schuettii etiam est sententia, ad bellum Punicum pertineat.

5.

Festus [3]: *supparus dicebatur puellare vestimentum lineum, quod et subucula appellabatur* [4]. *Puni-*(ceum vestimentum ita vocat) *Naev*(ius) *de* (bello Puni)*co:*

Quae sequuntur apud Festum verba, mirum in errorem induxerunt Spangenbergium, qui, quae ad Nautarum fabulam teste ipso Festo pertinent, in epicum hoc carmen intulit. Sed de hac re infra ad fabulas Naevianas disputabimus.

6.

Festus [5] et Paulus Diaconus [6]: *sardare, intelligere. Naevius belli Punici libro* . . :

. ʹ . . quod brúti néc satis sardáre
queúnt.

Apud Varronem [7]: *in bello Punico* (Naevius):

nec satis sarrare

ab serare dictum, id est aperire

legitur. Ita codices omnes, nisi quod *serrare* est in Paris. a, *resarrire* in cod. Vict. et edit. August., *sarrire* editt. princ. vetust. Ald. Bas. Par. Gryph., *reserare* emend. August. sequentt. Vertran. et Sciopp. Ceterae editt. *sarrare.*

Naevius utrum *sardare* an *sarrare* scripserit, dubius diu haesi, usquedum versuum illorum recordarer, quibus Naevianum dicendi genus perstrinxisse dicitur Ennius [8], inter quos unus est, a Cicerone oblivioni ereptus:

nos ausi reserare;

1) *s. v. runa pag.* 263 *Muell.* 2) *pag.* 262 *Muell.* 3) *pag.* 310 *Muell.* 4) *Plaut. Epid.* II. 2. 48. *Varro de ling. Lat. pag.* 134 *Speng.* 5) *pag.* 323 *Muell.* 6) *pag.* 321 *M.* 7) *de ling. Lat. pag.* 387 *ed. Speng.* 8) *Annal. fragm.* VII. 6 *Sp.*

tacito enim, ut et Spangenbergius et Goellerus [1]) adnotarunt, scommate ipsum hunc versum Naevianum Ennius carpere videtur. Apparet igitur, a *serare* illud verbum originem ducere, itaque *sarrare* scribendum esse.

In primi libri initio hoc quidem fragmentum sedem suam habuisse videtur, si vera sunt, quae de Ennio hunc locum perstringente dicunt. Atque in initio carminis a Spangenbergio positum est, cum quo tamen Schuettius metrum pessumdedit

quod brúti nec satís sardáre queunt . .

7.

Donatus [2]): *Naevius in bello Punico:*

plerique omnes subigúntur súb suum judícium

ubi quo jure *subjungunt* Spang. et Schuett. substituant, ipsi videant; quae enim de *aliis editionibus* annotat Spangenb., in Stephanum tantum cadunt. Conjungit autem hunc versum cum praecedenti Spangenberg. ita, ut poetam causas exponere putet, cur bellum Punicum primum canat; multos enim stultos ejus gravitatem non satis intelligere posse, plerosque, e suo quemque ingenio, res gestas suo subjungere judicio.

Nescio, an de Regulo sermo sit, in Senatu disserente et plerosque in suam sententiam, quae quidem principio nullius fere Senatoris erat, trahentis, ut bellum persequerentur ipsumque ad supplicia proposita redire sinerent.

Noli offendere in pronomine possessivo [3]); nec insolita est conjunctio verborum *plerique omnes* [4]).

8.

Paulus Diaconus [5]): *rumitant, rumigerantur. Naevius:*

simúl [6]) *alius aliúnde rúmitant intér se*

---

1) *ad Cicer. Orat. pag.* 362. 2) *ad Terent. Andr.* I. 1. 28. 3) *Ramshorn Lat. Gramm.* §. 157. 4. 4) *Westerhov ad Terent. l. l.; Oudendorp ad Caes. bell. Gall.* II. 30. 4; *Bremi ad Nepot. Eum.* XII. 2. 5) *pag.* 271 *Muell.* 6) *Ritter element. gramm. Lat. pag.* 139.

ita Paulus; in Festo supplevit Ursinus *sese; simitu* *conj.* Dacier. Bothius [1]) acclamante Spangenbergio:

simul alis alid aliunde rumitant inter se.

De captivis versum intelligit Spangenbergius, qui, cum Regulo capti, inter se consenserint, se Carthagine perire malle, quam cum ignominia ad suos redire. Mihi quidem locus hujus fragmenti omnino incertus videtur.

9.

Gellius [2]): *Lucetium autem Jovem Cn. Naevius in libris belli Punici appellat.*

Temere *Lucetium* Jovem in tertium librum Spangenbergius induxit, ubi de Duilio Jovem invocante egisse poetam opinatur.

Vocem hanc Oscam dicit Servius [3]), in eo cum Gellio consentiens, quod *a luce, quam Deus ille praestare dicitur hominibus*, dictam eam esse perhibet. Similia leguntur apud Paulum Diaconum [4]) et Macrobium [5]).

10.

Carmini de bello Punico restituenda videtur vox *aënum* a Servio [6]) servata: *quidam aënum speciem vasis non utique aënei tradunt, ut Naevius; aëneus, plumbeus.*

Editores omnes hanc vocem neglexerunt.

11.

Ad Punicum bellum pertinere fragmentum ab Isidoro [7]) servatum: *Naevius,*

. . . *pulchramque ex auró vestemque citrósam,*

e loco quodam Macrobiano [8]) apparere videtur, ubi extrema hujus versus vocabula in carmine de Punico bello posita fuisse dicuntur his verbis: *ait Oppius, in-*

---

1) *fragm. trag. pag.* 92. *et fragm. com. pag.* 25. 2) V. 12. 6. 3) *ad Virg. Aen.* IX. 570. 4) *pag.* 114 *Muell.* 5) *Saturn.* I. 15. *pag.* 274. *Bip.* 6) *l. l.* I. 213. 7) *Orig.* XIX. 22. 20. 8) *Saturn.* II. 15. *pag.* 379 *Bip.* (*falso Sp.* III. 19, *Sch.* III. 15.)

ter vestem poni citreum. Hinc et Naevius poeta in bello Punico:

' citrosam véstem[1]).

Falso autem Macrobius cum θύῳ Homerico citrum componit; θύον enim Thuja cypressoides est[2]).

Didonis fortasse habitum hoc versu descripserat poeta[3]).

12.

Nescio an eodem pertineat alius versus, qui apud Macrobium[4]) legitur:

. '. . . ' cum tu, árquitenéus, sagíttis
pollens Dea . . . '.

Cum Diana enim Didonem confert etiam Virgilius[5]).

13.

Nonius[6]): *castitas et castimonia generis feminini. Masculini Naevius carmine Punici belli:*

res divas edicit praedicit castus ' .

Septimo libro adscripsit Spangenbergius, temere. Ad Lutatium enim hunc versum non pertinere, sola vox *castus* Spangenbergium docere poterat. Quo pertineat, nescio; quamquam aut in primo aut in secundo libro locum ei fuisse conjicio; pium enim Aenean videre mihi videor. Idem Schuettius sensisse videtur, hoc loco a Spangenbergio suo deflectens.

Fragmenta carmini de Punico bello Naeviano vel ipsi Naevio temere adscripta.

1.

Fragmentum aliquod, a Varrone[7]) servatum, tanta est insigne lectionum varietate, ut nec de metro, nec de auctore certum quoddam affirmari possit. Le-

---

1) *Becker's Charikles* II. *pag.* 409. 2) *Billerbeck flor. classic. pag.* 234; *Plum ad Persium pag.* 86; *Becker's Gallus* I. *pag.* 138. 3) *cf. Virg. Aen.* IV. 137. 4) *Saturn.* VI. 5. *pag.* 181 *Bip.* 5) *Aen.* I. 598 *sqq.* 6) *s. v. castitas pag.* 197 *M.* 133 *G.* 7) *pag.* 310 *Speng.*

gitur enim in codd. Flor. Haun. Victor. Paris. a: *dictas apparet infulas, quod velamenta, his e lana quae adduntur, infulae; itaque tum quod ad sepulcrum ferunt:*

. . . . . fróndem ac flores áddidit,
non lánas, sed velátas frondentés comas.

Versus senarii jambici. Sed cod. Haun. *addit*, fortasse compendium perfecti *addidit* [1]; *addunt* ceteri. Quodsi vere *addit* Varro scripsit, versus Saturnii sunt:

. . . . fróndem ac flores áddit
non lánas, sed velátas fróndentes cómás.

Quid? quod trochaicus tetrameter in Paris. a. legitur; hic enim, verbis *quod . . . . flores* omissis, hunc praebet versum:

áddidit non lánas, sed velátas fróndentis cómas.

Áliter editiones, quarum complures cum codicibus fere consentiunt, nisi quod est *frondes atque flores* in editt. August. Vertran. Sciopp. *nunc lanas* August. et Vertran.; *velant* Sciopp. *frondenteis* August. Vertran. Sciopp. Sed plane dissentiunt editt. princ. vetust. Rhol. Venet. I. et II. Ald. Bas. Paris. Gryph., in quibus haec fere leguntur: . . . .

. . . . frondés ac flores áddunt,
non lánas

ideo Naevius ait:

sed velátas frondentis comas . . .

non ommit. Venet. I. et II. Ald. Bas. Paris. Gryph. His libris auctoribus Schuettius Naevio hos versus vindicat, praeeuntibus Popma [2]) et Scaligero [3]), quorum alter cum Schuettio carmen de bello Punico augendum hoc versu censet, Scaliger ad poetae Alcestin pertinere eos putat [4]). Sed dissentit ab ipso Popma Schuettius. Ille enim tribus tantum verbis ultimis Naevium ditat, Schuettius, conjunctis in unum istis fragminibus, duplici fere Saturnio. At quis unquam homo sanus, poetarum versus explicans, ita hos versus distrahit, ut in istis Varronis factum est libris? Equi-

---

1) *Emperius in Zeitschr. für Alterth.* 1842. *pag.* 226. 2) *ad Varron. l. l. pag.* 184 *ed. Bip.* 3) *l. l. pag.* 185. 4) *Hermann praef. ad. Eurip. Alc. pag.* XVIII., *cf. quae de Alcestide fabula infra adnotata sunt.*

dem cum Spengelio [1]) facere non possum quin sentiam, qui certo scire se profitetur, Varronem ita non scripsisse. Quae cum ita sint, locum Varronianum in istis editionibus corruptelam, quales haud raro inveniuntur [2]), traxisse arbitror, ita ut poetae nomen quod Varro more suo addere non solet, librarii addiderint. Versus e tragoedia aliqua desumti videntur, non tamen Naeviana.

2.

Falso Schuettius versum Ennianum, qui a Varrone [3]) servatus est, Naevio vindicavit. Est autem hic:

Musae: quas memorant, nosce nos esse Camenas,

versus idem heroicus optimus. Variant quidem libri manuscripti: *memorare* cod. Par. a; *nosce esse* cod. Haun.; *nosse nos esse* edd. Ald. Bas. Paris. Gryph.; *nosce vos esse casmenae* cod. Victor. editt. August. Vertran.; *nosce nos esse* cod. Flor.; *casmenarum* deest in Haun.; Florent. *camenarum*; *casmentarum* Rhol.; *camerarum* Paris. a; *ca menarum* Par. b.

Temeri sunt Scaliger [4]), qui versum heroicum ita:

Musas, quas memorant Casmenas esse,

Popma [5]) et Spangenbergius [6]), qui ita restituunt:

Musai, quas memorant Casmenas esse Latini,

nec minus Schuettius, qui versum Saturnium extorquet hunc:

Musas quas memorant nostri esse vos Casmenas.

Versus omnino Ennii, neque quidquam apud Varronem mutandum est; vocem autem *Casmenas* vel *Camenas* excidisse, e lacuna cod. Hauniensis concluditur [7]). Locum autem Varronianum falso interpunxit Spengelius; hic, restituta altera voce *Camena* est:

Musae, quas memorant nosce nos esse Camenas.

Casmenarum priscum vocabulum ect.

Verba haec Enniana ipsarum Musarum sunt, Ennium somniantem alloquentium.

---

1) *Praefat. pag.* XLIX. 2) *Spengel Praef. pag.* XL *sqq.* 3) *pag.* 312 *Speng.* 4) *ad Varron. l. l. pag.* 186 *ed. Bip.* 5) *ad Varron. l. l.* 6) *Ennii fragm.* I. 3. 7) *Spengel Praefat. pag.* LX.

3.

Punico bello tribuit Schuettius fragmentum Naevianum, quod Agitatoriae fabulae Blumius. Confer de eo, quae infra exposita sunt [1].

4.

Jambicum Senarium in carmen hoc epicum idem Schuettius intulit [2].

5.

Versum, quem ex Hectore proficiscente laudat Priscianus, recte contra Spangenbergium fabulis vindicavit Schuettius [3].

6.

Hendecasyllabi sunt Laevii, quos in Saturnium metrum corrumpit et e Naevii bello Punico depromtos esse statuit Schuettius; Leguntur autem apud Macrobium [4]: *Liber* (Sol) *a Romanis appellatur, quod liber et vagus est, ut ait Naevius*:

hac, qua sol vagus igneas habenas
immittit propius jugatque terrae.

Neminem puto esse, qui elegantes hos versus Naevio tribuat; Laevii sunt, quemadmodum demonstravit Weichertus [5]. Adeo autem Schuettius propreditur audaciae, ut ex arbitrio mutet et mutilet hos versus, ut Saturnium evadat metrum. Hunc enim versum offert;

hac quá sol vágus habénas ígneas immíttit.

7.

Festus [6]: *moene singulariter dixit Ennius*:

apud émporium in campo hóstium pro moéne.

quem versum Saturnium et e Naevii Punico bello esse Odofr. Muellerus [7]) arbitratur. Sequitur Schuettius. Sed, contractis vocibus *campo hostium*, Senarius jambicus optime defluit; itaque, si de metro judicandum est, nil impedit, quo minus versum Ennio restituamus. Sed

1) *fragm. com. inc.* 1. 2) *cf. fragm. trag. inc.* 8. 3) *cf. Andromach. fragm.* 3. 4) *Saturn.* I. 18. *pag.* 301 *Bip.* 5) *poet. Lat. reliquiae pag.* 49. 6) *pag.* 145 *Muell.* 7) *ad Festum pag.* 384.

ne colorem quidem Ennianum esse Muellerus putat, nescio, quibus causis ductus.

8. et 9.

De fragmentis ab Isidoro servatis infra judicium nostrum feremus [1]).

10.

Recte Muellero [2]), qui *Pisatilem Pantaleontem* in carmine de bello Punico memoratum fuisse conjecit, oblocutus est Schuettius [3]).

II. Cypria Ilias.

De hoc carmine, sitne Naevii nec ne, magna inter viros doctos fuit contentio. Simulatque autem inter eos convenit, versu heroico ante Ennium Romanos usos non esse [4]), res judicata erat. Nihilominus rem judicatam sub judicium revocavit Wuellnerus [5]), repugnante Weicherto [6]) et refellente Goellero [7]). Quae cum ita sint, persuasissimum mihi habeo, Naevii illud carmen propter ipsum versum heroicum, quo scriptum est, non esse. Quid enim? Naevius bellum Punicum versu Saturnio, Cypriam Iliadem heroico scripserit metro? perfectiori metro usus sit antea, postea rudiori? Nam, si Cypria Ilias Naevii est, ante carmen de bello Punico conscripta est, quod senem poetam pepigisse supra [8]) exposuimus. Laevio igitur hoc quidem carmen omnino vindicandum esse cum Osanno [9]) et Weicherto [10]) censeo.

Operae pretium esse puto, eam, quae de hac Iliade nata mihi est, conjecturam paucis exponere. Haerent enim omnes viri docti, quale fuerit hoc Laevii carmen. Nec immerito, ut videtur. Ipsum enim Cypriae Iliadis nomen ita est comparatum, ut, quid sibi

---

1) *fragm. com. inc.* 27 *et* 28. 2) *ad Fest. pag.* 211 *not.* 3) *cf. fragm. trag. inc.* 6. 4) *cf. pag.* 32. 5) *de Laevio poeta Recklinghusae* 1830. 6) *poett. Latinn. reliquiae pag.* 85. 88. 7) *ad Cicer. Orat. pag.* 360. 8) *pag.* 26. 9) *analect. critic. pag.* 36. 10) *l. l.*

velit, vix expiscari possis. Cypria enim carmina novimus, notissima Ilias; sed Cypriorum et Iliadis compositio, cum ipsa Ilias nec inter Cypria referenda sit [1]), neque arctius cum iis cohaeserit [2]), absurda fere est neque ullo invenitur loco alio [3]). Inde apparet, Cypriam Laevii Iliadem non idem cum Graecorum Cypriis tractasse argumentum. Itaque alia est via circumspicienda, qua e carminis nomine divinetur, quod ejus argumentum fuerit. Cogitabam primum de singulari notione, quam apud Sabinos voci *Cyprius* subjectam fuisse constat [4]); *Cyprius* enim Sabinis *bonus* erat; tamen Laevii etiam tempore hanc in usu quotidiano apud Romanos notam fuisse vocis *Cyprius* notionem, verisimile non videtur. Sed, ut brevis sim, Cypria Ilias est Ilias e recensione Cypria. Hujusmodi enim Homericorum carminum extitisse recensionem, traditum est [5]). *Cypria* igitur *Ilias* inscripta erat Ilias Homerica, quam secundum recensionem Cypriam in Latinum sermonem converterat Laevius. Quod Langius [6]) Cypriam Iliadem carminum Cypriorum versionem Latinam dicit, cui Cypriae nomen Laevius praescripserit, ne cum Iliade Homerica confunderetur, merum commentum est, excogitatum ad stabiliendam Langii de Cypriis sententiam. Nam Cypria non vertisse Laevium, inde apparet, quod ipsum hoc carmen, duobus locis citatum, altero [7]) *Cypria Ilias*, altero [8]) *Ilias* solum vocatur. Atqui, si Cypria vertisset poeta, non *Iliadem*, sed, ubi breviori nomine uti voluit, *Cypria* dicere debebat. Ceterum poetam carmen suum ea de causa ita inscripsisse, ut ambigua ipsa esset inscriptio, nec certo affirmo neque omnino nego. Ambiguam autem dixi inscriptionem, quod *Cypria* Ilias et recensionem Cypriam indicare et Laevii Iliadem tanquam bonam rudi opponere poterat Odysseae Livii aut Cn. Matii Iliadi [9]), sicuti etiam Ennius suos versus Naevianis,

---

1) *Wuellner de cyclo epico pag.* 67 *sqq.* 2) *Lange über die kyklischen Dichter der Griechen pag.* 37 *sqq.* 3) *Mueller de cyclo Graecorum epico pag.* 80. 4) *Drakenborch ad Liv.* I. 48. 7. 5) *Villoison. Anecdot. Graec.* II. *pag.* 183 *not.* 2. *et pag.* 292; *Scholia Marciana ad Homerum pag.* 453 *et* 454 *Villois.* 6) *l. l. pag.* 40. 7) *Charis. pag.* 118 *Putsch.* 8) *Priscian. pag.* 881 *Putsch.* 9) *Wernsdorf poet. Latin. minor.* IV. *pag.* 568. *Passov. ad Pers. Satir.* I. 48. *pag.* 278.

quos tanquam incultos contemnit, opposuisse fertur [1]). Quod vero e Cypria recensione Iliadem suam Laevius converterat, ea ipsa res causa est, cur ea, quae supersunt, fragmenta in Iliade nostra haud omnino ita reperiantur, unde concludi potest, aut diversissimam a nostra recensione illam fuisse Cypriam, aut Laevium poetae sententiam tantum, non verba expressisse. Sed alia etiam est res, e qua recensionum illarum diversitatem videre licet. Alterum enim, quod aetatem tulit, fragmentum:

collum marmoreum torques gemmata coronat

e primo citatur libro, cum tamen locus Homericus, qui quidem simillimus est, in tertii demum libri initio inveniatur [2]); alterum

foecundo penetrat penitus thalamoque potitur

e libro secundo laudant, cui simillimus versus Homericus est, qui sub tertii libri finem legitur [3]).

III. Fabulae.

Difficillima duobus nominibus est provincia, Naevii fabulas a Livii, Ennii, Novii et Laevii carminibus discernendi, cum et horum poetarum nomina ubique fere commutentur [4]) et Nonius, quem nostra quidem aetas vidit, corruptelarum nidulus cum Weicherto [5]) dici possit, neque ea, quam nuper curarunt editionem Gerlachius Rothiusque, satis diligenter elaborata sit, quemadmodum in recensendis belli Punici fragmentis non uno loco adnotavimus. Summam quidem hac in re dijudicanda optimorum librorum manu scriptorum auctoritatem esse duxi; iis tamen in locis, ubi ex his vix quidquam dijudicari poterat, legem secutus sum, a Langio [6]) ingeniose et subtiliter constitutam, *ubi de*

---

1) *Annal. fragm.* VII. 3 *Sp.* 2) *Iliad.* III. 141. 3) *Iliad.* III. 447. 4) *cf. Osann. anal. crit. pag.* 7. 29 *et* 54; *Weichert poet. Latin. rel. pag.* 31 *not.* 8; *Baehr, Geschichte der Röm. Literatur* §. 28. *not.* 1; *Duentzer Livii Andron. fragm. pag.* 66; *Munk de fabulis Atellanis pag.* 119; *Ellendt. commentar. ad Ciceron. de Orat.* II. 63. 255 *et* III. 12. 45. 5) *l. l. pag.* 193 *et* 262 *not.* 20. 6) *vindiciae tragoediae Romanae pag.* 10 *not.* 12.

hexametris versibus sermo sit, non Livii (addo nec Naevii), ubi de tragicis, neque Novii, neque Laevii nomen poni licere, nisi ipsum jam scriptorem errasse putes. In discernendis Naevii et Novii fabulis summa sunt merita Munkii [1]), qui vir, plurimorum librorum auctoritate nisus [2]), ea, quae Novii sunt, diligenter a Naevii fabulis discrevit. Vix necessarium est, ut Naevium cum Navio etiam augure [3]) et cum Maevio, vilissimo Augusteae aetatis poeta [4]), commutari memorem, quae quidem commutationes non impediunt, quo minus Naevio sua vindicentur.

Magnum dicere licet poetam Naevium e Platonis sententia [5]) qua ii tantum poetarum nomine digni sunt, qui et comicas et tragicas componere valent fabulas. Nam de Livio incertum adhuc est, scripseritne comoedias nec ne, Ennius autem in comoediis haud excelluisse traditur. Naevii autem fabulas ita disponam, ut primum tragoediarum, tum comoediarum fragmenta recenseam, neque eas negligam, quas falso huic poetae tribuerunt Viri Docti.

Dubitat Welckerus [6]), an Naevius vere tragoedias composuerit. Frustra. Ea enim, quae infra disputabimus, de Naevio tragico poeta dubitari non sinunt.

Collegerunt fabularum Naevianarum fragmenta hi Viri Docti:

R. et H. Stephani [7]), qui Naevii, Novii et Laevii versus ubique confuderunt, itaque totam rem conturbarunt.

Martinus Delrio (M. Antonii Delrii ex societate Iesu syntagma tragoediae Latinae. Parisiis 1619. pag. 108. 4to), qui neque accurate collegit Naevii fragmenta, neque magnopere de iis explicandis emendandisque meritus est. Ne illud quidem huic viro laudi est ducendum, quod Naevium cum Novio non confudit, cum tragoediarum tantum veterum fragmenta collegerit.

---

1) *l. l. pag.* 165 *sqq.* 2) *l. l. praefat. pag.* V. 3) *Moser ad Cicer. de Republ.* II. 20. *pag.* 266; *eadem in re lapsus est Regelius divers. de re trag. Roman. judic. pag.* 39 *not.* 4) *Weichert l. l. pag.* 321. 5) *Conviv. pag.* 223 *D.* 6) *die Griechischen Tragoedien pag.* 1372. 7) *cf. pag.* 35.

Th. ab Almeloveen [1]); qui paucissima, quae collegit, Naevii fragmenta, ita inscripsit: *Naevii sive Novii.*

Petrus Scriverius [2]); tragoediarum modo reliquias edidit, ita ut cum Laevio solum Naevium confundere posset.

Maittaire: (opera et fragmenta veterum poetarum Latinorum. Londini. 1713. Vol. II. p. 1456), cujus liber praesto mihi non fuit.

Bothe [3]); optime adhuc de Naevii fragmentis tragicis et comicis meritus est. Primus, quantum scio, cum de Maittairio non constet, Naevium a Novio discrevit, non ita a Laevio.

Levée: (Théatre complet des Latins, augmenté par Duval. à Paris. 1823. Tom. XV), qui vir quae praestiterit nescio, quippe cujus librum frustra quaesiverim.

Primus Naevium a Laevio omnino ita discrevit, ut quae alterius essent appareret:

Weichertus, qui praeclarum de Laevio poeta composuit libellum [4]).

1. Fragmenta tragoediarum.

Aegisthus.

Livii Andronici haec est fabula, in cujus fragmentis bene a Bothio [5]) posita est, quidquid contra loquitur Scaliger [6]). Optime jam Gerardus Vossius [7]) Livio eam reddiderat; argumentis autem additis Livio eam nuper vindicavit Doellenius [8]).

Alcestis.

Hanc Naevii non esse fabulam, sed mixti Laevii carminis lyrici partem, evicerunt Osannus [9]), Langius [10]),

1) *cf. pag.* 36. 2) *cf. pag.* 35. 3) *cf. pag.* 36. 4) *in poetar. Latinor. reliquiis pag.* 19—88. 5) *fragm. trag. pag.* 7. 6) *ad Varron. de ling. lat. pag.* 55 *ed. Bipont.*; *cf. Stieve de rei scenicae apud Romanos origine pag.* 88. 7) *castigatt. et nott. pag.* 61. 8) *de fabula Livii Andronici, quae inscribitur Aegisthus. Rigae* 1838. 4*to.* 9) *anal. crit. pag.* 8. 10) *vindic. pag.* 9. *cf. Hermann ad Eurip. Alcest. pag.* XVIII.

Duentzerus [1]), imprimis Weichertus [2]). Ad idem Erotopaegnion carmen pertinet Protesilaus sive Laodamia [3]), quam temere inter Naevianas fabulas recensuit Bothius [4]).

Andromache sive *Hector proficiscens.*

Desideratur haec Naevii fabula apud omnes, qui ejus reliquias collegerunt. Bothius [5]) male ad Novium eam retulit, sequente Munkio [6]), repugnante tamen Welckero [7]).

1.

Servius [8]): *fiscina genus est vasis i. e. corbulae brevis, quas perferunt qui arbusta vindemiant. Naevius in Andromache:*

quod tú, mi gnate, quaéso ut in pectús tuum
demíttas, tanquam víndemiator in físcinam.

Versum alterum injuria ἄμετρον dicunt Bothius [9]) Munkiusque [10]), eumque frustra ita mutandum censent:

demíttas, tanquam in fiscinam vindemitor.

Vox enim *vindemiator* quatuor syllabarum est [11]).

Nihil est apud Euripidem, quod expressam e Graeca ejus fabula hanc Naevianam esse demonstret. Nam verba [12]):

μέμνησο μητρὸς οἷα τλᾶσ' ἀπωλόμην,
καὶ πατρὶ τῷ σῷ διὰ φιλημάτων ἰών
δάκρυά τε λείβων καὶ περιπτύσσων χέρας
λέγ' οἷ' ἔπραξα,

quae cum versibus Naevianis comparavit Duentzerus [13]), adeo dissimilia sunt, ut in his tragicum, in illis comicum fere colorem agnoscas [14]). Astydamantis potius Hectorem expressit Naevius, si vera sunt, quae infra disputabimus.

---

1) *Liv. Andron. fragm. pag.* 68. 2) *l. l. pag.* 54 *sqq.*; *cf. Hermann praefat. ad Eurip. Alcest. pag.* XVIII; *Welcker die Griechischen Tragoedien pag.* 1371. 3) *Weichert l. l. pag.* 41 *et* 76—80. 4) *fragm. trag. pag.* 91. 5) *fragm. comic. pag.* 42. 6) *de fabul. Atell. pag.* 166. 7) *l. l. pag.* 1370. 8) *ad Virgil. Georg.* I. 266. 9) *l. l.* 10) *l. l.* 11) *Horat. Satir.* I. 7. 30. 12) *v.* 415 *sqq. Ddf.* 13) *in Zeitschrift für Alterth.* 1835. *pag.* 47. 14) *cf. Welckerum l. l. pag.* 1370.

Verba Priami esse videntur filium hortantis Hectorem eumque laudantis, aut, quod malo, Hectoris de filio bene precantis.

2.

Cicero [1]: *aliter enim Naevianus ille gaudet Hector;*

laétus sum, laudári me abs te, páter, a laudatá viro.

Versum bene exhibuit primus Davisius, sequente Hermanno [2]), cum antea ἀμέτρως legeretur:

laetus sum
laudari me abs te, pater, laudato viro.

Aliter Vossius [3]), cujus perplacet emendatio:

laetu' sum, laudari me, pater, abs te, laudato viro.

Bothius [4]):

laetus sum, pater, laudari me abs te, laudato viro.

me omittit cod. Oxon., *a* Monac. a, quem sequuntur plurimae editiones veteres. Alio loco Ciceroniano [5]) sunt, qui et ipsi *me* omittant, codices, quamquam in omnibus libris pronomen desiderari falso annotavit Bothius. Respiciunt hunc versum Naevianum, quem injuria Ennio tribuit Bothius, Cicero alio etiam loco [6]) et Seneca [7]), quibus in locis *a* non desideratur.

Hermannus et hunc et eum, qui subsequitur versum ad Hectorem, quam dicit fabulam Naevianam, refert, adstipulante Welckero [8]), de qua fabula quae sentiam, infra exponam.

Verba sunt Hectoris profitentis apud Priamum patrem, quantopere laude sua laetetur.

3.

Priscianus [9]): *Naevius in (III.) Hectore proficiscente:*

túnc ipsos adóriant ne quis hinc Spartam referát nuncium.

Versus est tetrameter trochaicus catalectus, quem, nescio quo jure, Hermannus [10]) ita mutavit:

tunc ipsos adoriant, ne qui hinc Spartam referat nuncium.

---

1) *Tuscul.* IV. 31. 67. 2) *Element. pag.* 633. 3) *l. l. pag.* 65. 4) *fragm. trag. pag.* 45. 5) *ad Famil.* XV. 6. 1. 6) *ad Famil.* V. 12. 7. 7) *Epist.* 102, *quem locum editores neglexerunt omnes.* 8) *l. l. pag.* 1059. 9) VIII. 7. *pag.* 383 *Krehl.* 10) *l. l.*

Bothius [1]) *tum et istinc* legendum putat. Noli mutare; ultima enim vox bisyllaba est [2]). Falsissimus igitur Spangenbergius [3]), qui, improbante quidem Schuettio, e bello Punico desumtum hunc locum esse arbitratur.

Ceterum Prisciani codices fere omnes *Naevius in III. Hectore proficiscente* exhibent; III. omittunt cod. Zwiccav. et edit. Venet. 1476. Nescio tamen, an recte Krehlius cum Hermanno numerum, ut a Prisciani manu non profectum, ejecerit; quamquam enim numerus III e repetita voce praecedente IN facile nasci poterat, aliud tamen Naevii fragmentum [4]) ita a Nonio laudatur: *Naevius Lycurgo libro II.*, ad quem locum diligentius de hoc etiam disseremus.

Versus Hectoris est milites suos adhortantis, ut Graecis ita occurrant eosque trucident, ut ne nuntius quidem tantae cladis supersit.

Recte Hermannus cum Vossio [5]) *Hectorem proficiscentem* Naevii fuisse fabulam vidit. Hanc autem fabulam e Graeca Astydamantis Naevium sumsisse, Welckerus [6]) suspicatus est, qua de re, si meum quaeris judicium, totus fere cum Viro Clarissimo consentio. Atqui in fabula hac Astydamas Hectorem in proelium proficiscentem et, quemadmodum apud Homerum legitur, uxorem cum filiolo valere jubentem fecerat, quae cum bene exposuerit Welckerus, miratus sum, quod fragmentum primo loco a nobis positum ex Astydamante conversum esse non sensit [7]). Mihi quidem Andromache et Hector proficiscens eaedem fabulae esse videntur, neque est, quod in duplici inscriptione offendaris [8]). Quodsi Welckerus Astydamantis Hectorem trilogice compositum fuisse suspicatur, melioribus firmioribusque, quam quibus ipse usus est, argumentis probabile hoc fieri posse confido ex ipso hoc fragmento Naeviano, modo illud a Nonio e Lycurgo servatum in auxilium vocaveris. Sed de hac re infra.

---

1) *fragm. trag. pag.* 45. 2) *Ritter element. gramm. Lat. pag.* 116. 3) *fragm. Punic. bell. Naev.* I. 8. 4) *Lycurg. fragm.* 9. 5) *l. l. pag.* 75. 6) *l. l. pag.* 1059. 7) *l. l. pag.* 1370. 8) *cf. Weichert poet. Lat. rel. pag.* 81 *sqq.*

Danaë.

Hac quidem in fabula e Graeca Euripidis multa sumsisse Naevium arbitror, cum quod in utraque Mercurii, Danaës, Acrisii personae inveniuntur, tum quod plurimis Naevianae tragoediae versibus superstitibus summa est cum fragmentis Euripideis similitudo.

1.

Nonius [1]): *Naevius Danaë:*

contémplo placide fórmam et faciem vírginis.

Ita Nonius. In glossis autem Fornerianis Merula [2]) haec legi affirmat: *duellus*, καλός. *Apud Naevium:*

faciem virginis

duelláe,

quae verba, mutata tamen una, quae mutanda non erat, voce *placitae*, Merula cum illis recte conjunxit.

Verba sunt Jovis Danaën spectantis, ut bene monuit Vossius [3]), fortasse cum Mercurio [4]) id agentis, ut ad eam accedere corruptis custodibus possit. Ideo narrat, quae sibi placide contemplandi virginem copia fuerit. Ad ea respondentis et corrumpi posse custodes negantis Mercurii versus hic esse videtur:

2.

Nonius [5]): *Naevius Danaë:*

omnés formidant hóminis ejus valéntiam.

ita Junius Hadrian. et Merc.; ceteri libri *Dane*, ut in fragmento subsequenti; cod. Leid. *volentiam*.

Male Bothius Jovem hominem hoc loco dictum esse contendit; de Acrisio haec dicta esse recte Welckerus [6]) arbitratur.

3.

Nonius [7]): *compotem in bonam partem solum accipi putatur, cum et in mala positum sit. Naevius Danaë:*

eám nunc esse invéntam probri cómpotem
scis.

1) *s. v. contempla pag.* 469 *M.* 319 *G.* 2) *l. l. pag.* 59. 3) *l. l. pag.* 64. 4) *Welcker l. l. pag.* 638. 5) *s. v. valentia pag.* 186 *M.* 126 *G.* 6) *l. l. pag.* 1371. 7) *s. v. compotem pag.* 456 *M.* 310 *G.*

probri conj. Mercer.; *propriis* codd. Mercer. Guelferb. Leid.; *opprobriis* Aldin. Jun.; *opprobrii* conj. Voss.

Loqui videtur nutrix, quae cum viro concubuisse Danaën narrat. Nutricis enim persona in Euripidis etiam erat cognomini fabula [1].

4.

Nonius [2]: *lavit pro lavat.* *Naevius Danaë:*

. . animi jubeo fonte lávere nemini manum.

Ita libri manuscripti ad unum omnes. Laborarunt autem omnes adhuc et critici et interpretes in explicandis emendandisque his verbis. Conjecturae gravissimae hae sunt: *auri jubeo* Delr.; *auri fulvo* Grot.; *memini* Mercer. et Voss.; *nunc minumo malum* Both. [3], lusum verborum in hoc versu inesse statuens ita, ut quis animi sui malum non lacrimis lavare jubeat, sed fonte minimo i. e. argento, minis. At, ut ipse confitetur, socco haec quam cothurno digniora. Haec causa erat, cur et halucinatum fuisse Nonium neque ea, quae affert, Naevii verba e Danaë eum depromsisse statueret. Sed hoc est igni et ferro delere, quibus mederi nequeas. De Delrii [4]) emendatione exponere supersedeo; cogitat autem de consilio lenonio. Novissimus, qui in emendando hoc versu periclitaretur, fuit Th. Bergkius [5]), qui ingeniose quidem sed quo est emendandi impetu abreptus ita legi jubet:

jubeo te fonte lavere neminis manum

adstipulante Welckero [6]). Provocat autem ad simillimos, quos dicit, Aeschyli [7]) Sophoclisque [8]) locos, quibus comparatis verba Naeviana ita explicat: verba dicit esse Acrisii, Danaen in exilium pellentis vetantisque, ne quis, ut cum Sophocle loquar, Danaae χέρνιβας νέμῃ neque quidquam cum ea commune habeat. Sed aliud est in fabulis Danaës supplicium, unde facere non possum quin a Bergkio et Welckero dissen-

1) *Welcker l. l. pag.* 638. 2) *s. v. lavit pag.* 503 *et* 504 *M.* 343 *et* 344 *G.* 3) *falsa sunt, quae de Bothii emendatione annotat Gerlach.* 4) *l. l. pag.* 168. 5) *in Mus. Rhenani* 1835. *pag.* 74. 6) *l. l. pag.* 1370. 7) *Choeph.* 285, *quem locum malim non allegatum, cum* συλλύειν, *non* συλλόνειν *legatur; cf. Bamberger l. l.* 8) *Oed. Reg.* 240.

tiam, quorum hic eo progreditur audaciae, ut cum ipso hoc exilio tragoediae naturam tolli diceret. Quis tandem filiae ab Acrisio aqua ignique hac in fabula Naeviana interdictum fuisse, Welckerum docuit? Exigitur e patria, quemadmodum ipsa profitetur [1]), sed ita exigitur, ut, in cista illa inclusa, undis cum filiolo ferenda relinquatur. Quae cum ita sint, meam de versu hoc desperato in medium proferam sententiam. Verba enim sanissima sunt, modo recte interpreteris. Respondet Acrisius nescio cui, qui, num Danaën gravidam vel fetam interfici juberet, ex eo quaesiverat: nemini jubeo manum suam animi ejus fonte lavere i. e. non jubeo, ut aliquis ejus sanguine polluatur, eam interficiat, sed exponendam cum nepote filiolam curabo. Verbum enim *jubere* cum tertio etiam casu construi evicerunt Sanctius [2]) et Davisius [3]). Exempla autem vocis *animus* pro vita vel sanguine positae collegit Cortius [4]); quid? quod philosophi Graeci animum esse cordi suffusum sanguinem censuerunt [5]). Noli vero offendere in philosophica hac sanguinis circumscriptione; imitatus enim est Naevius Euripidem, qui utpote Anaxagorae discipulus Socratisque amicus, et physicas sententias et ethicas in fabulis suis protulit [6]).

5.

Nonius [7]): *confidentia est fiducia. Naevius in Danaë:*

éxcidit orátionis ómnis confidéntia.

Verba sunt Acrisii increduli, qui fabulas et nugas dicit, quae de aurea ista pluvia narraverat Danae [8]).

---

1) *fragm.* 11. 2) *Minerv.* II. 4, *ubi vide, quae annotat Perizon.* 3) *ad Caesar. bell. civ.* III. 90; *ita Graecorum quoque* κελεύειν, *construitur: cf. Bornemann ad Xenoph. Cyrip.* I. 3. 9; *Ellendt ad Arrian. exped. Alex.* III. 5. 5; *Dorvill. ad Charit. pag.* 586 *ed. Beck.* 4) *ad Lucan. Phars.* V. 279; VII. 622; IX 393. 5) *Cicer. Tuscul.* I. 9. 19; *Lucret.* III. 43; *Sturz ad Empedocl. Fragm. pag.* 440; *Bach ad Crit. Reliq. pag.* 52 *et* 67; *Brandis Gesch. d. Griechisch-Röm. Philosoph.* I. *pag.* 121 *et* 222. *not. n.*; *Osann Beiträge zur Literaturgesch.* I. *pag.* 261 *not.* 13. 6) *Valkenaer. Diatrib. pag.* 27. *ed Lips.*; *Schaubach ad Anaxag. pag.* 20; *Hemsen Anaxag. Clazomen. pag.* 19 *not.* 3. 7) *s. v. confidentia pag.* 262 *M.* 179 *G.* 8) *cf. Welcker l. l. pag.* 639.

6.

Nonius [1]): *icit significat percutit, ab ictu.* *Naevius Danaë:*

. . . . . *quae quondam fulmine icit Juppiter.*

in equius Danae cod. Leid.; *quandam* libri praeter Jun. et Merc.; *flumine* cod. Guelf.; *quam* emend. VV. DD. omnes praeter Scriverium, qui *quem* mavult; addita una voce Th. Bergkius [2]) ita versum restituit:

Semela, quam quondam fulmine icit Juppiter.

Nihil mutandum. Verba enim ejusdem Acrisii sunt, qui, qua est incredulitate, Danaën miratur vivam, quamvis praesente Deo gavisa sit, Semelen tamen, cui idem contigerit, cum ipsa domo sua [3]) combustam esse. Haec causa est, cur librorum omnium lectionem *quae* non contemnendam esse putem; nam domum etiam Semeles combustam respicere Acrisius videtur.

7.

Nonius [4]): *Naevius Danaë:*

desubito famam tollunt, si quam solam videre in via:

Eundem versum alio loco [5]) laudat non addito fabulae nomine, unde falso Bothius duplici loco haec verba affert. Hoc autem ipso loco variant libri, qui altero loco consentiunt. In omnibus enim libris legitur *viderunt* praeter editionem Junianam, cujus tamen margo et ipse *viderunt* offert.

Verba Acrisii esse videntur, feminarum levitatem animique fallaciam perstringentis; nimis, inquit, et frustra de uxorum et virginum pudicitia metuunt mariti patresque; nihili hac in re est omnis custodia; nam nec famam metuunt feminae, qua eam adeo impudicam autumant, quam solam in via publica vident, neque in turribus et carceribus satis inclusae et custoditae sunt; nihilominus enim, ut Danaë, virginitatis florem amittunt. Redolent haec Euripidem, cujus simillimum est e Danaë fragmentum:

οὐκ ἔστιν οὔτε τεῖχος οὔτε χρήματα
οὔτ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή [6]).

---

1) *s. v. icit. pag.* 124 *M.* 85 *G.* 2) *l. l.* 3) *cf. Eurip. Bacch.* 8. 4) *s. v. desubito pag.* 518 *M.* 354 *G.* 5) *s. v. fama pag.* 306 *M.* 209 *G.* 6) *Welcker l. l. pag.* 641.

8.

Nonius [1]): *minitas pro minaris. Naevius Danaë:*

. . etiam minitas? mitte ea quae tua sunt mage quám mea.

Danea libri praeter Ald. Jun. Merc.

Versum cur comoediam sapere dicat Welckerus [2]), non assequor. Euripideas potius artes et sententiarum subtilitates agnosco. Verba enim Danaës sunt, factum excusantis apud patrem iracundum, qui se filiam cum nepote expositurum et undis ferendam traditurum minatus erat. Quippe Acrisii culpa esse dicitur, quod a Jove filium conceperat Danaë in turri inclusa et marito negata, quod factum non esset, si pater viro eam in matrimonium dedisset.

9.

Nonius [3]): *pretium pro praemio* [4]). *Naevius Danaë:*

quia, ut quisque est méritus, praesens prétium pro factis ferat.

quia msc. Merc. et editt. vett.; *quin* conj. Merc.; sed non contemnendum *quia*. Nihil hoc etiam loco annotavit novissimorum Nonii editorum negligentia.

Loquitur Acrisius, qui servo, cui in cista includendorum et exponendorum Danaës ejusque filii cura mandata erat, quaerenti, quae causa tam duri sit supplicii, respondet: quia (i. e. scilicet) praemium pro factis ita quisque ferat, ut meritus est.

10.

Nonius [5]): *exigere est excludere. Naevius Danaë:*

. . . . . indigne éxigor patria innocens.

Queritur Danaë, a patre includi et undis tradi jussa, de indigna sua sorte. Falsa sunt, quae de hoc et de alio hujus fabulae versiculo [6]) disputat Welcke-

---

1) *s. v. minitas pag.* 473 *M.* 322 *G.* 2) *l. l. pag.* 1371. 3) *s. v. pretium pag.* 366 *M.* 249 *G.* 4) *cf. Bach ad Ovid. Metam.* VI. 84; *Lindemann ad Plaut. Capt.* V. 1. 20; *Perlet et Westerhov ad Terent. Andr.* I. 1. 49; *Boetticher lex. Tacit. pag.* 373. 5) *s. v. exigere pag.* 291 *M.* 199 *G.* 6) *fragm. Dan.* 4.

rus [1]); nihil enim est, quod de antiqua Danaës fabula Naevium descivisse demonstret. Ejusdem Danaës verba sunt quae sequuntur, quibus, ut filiolus accrescat et senescentem quondam matrem alat atque sustineat, Jovem patrem obsecrat. Leguntur ea apud

11.

Nonium [2]): *manubiae, manus exuviae* [3]). *Naevius Danae*:

manúbias suppetát pro me . . . .

Dolus sive *Equus Trojanus*.

Dolum Naevii esse fabulam, primus vidit Odofr. Muellerus [4]), ut satis mirari nequeas, tam diu in re expeditissima falsissima a VV. DD. prolata esse. Disputat enim in libris de lingua Latina Terentius Varro [5]) de compluribus vocabulis, quae postea abolita sunt, idque ita, ut primum exemplum e Naevii Hesiona proferat, tum, literarum ordinem, secutus ex aliis hujus poetae fabulis, postremum ex ejus bello Punico. Tertio autem loco Dolus positus est, quo loco optimi quique codices *in Dolo* exhibent, ut Haun. Florent. Parisin. a Goth., cum quibus consentiunt editiones vetustissimae; contra in codic. Vertran. *Doloreste*, in editt. Rholand. et Sciopp. *Duloreste* legitur. Cum vero Naevii nec Dolum nec Dulorestem novissent, Pacuvio fragmentum a Varrone citatum tribuerunt falsissime [6]). Sed ipsum etiam Muellerum miror, qui Dolum quamvis recte Naevio vindicaverit, qualis haec fabula et quae fuerit, exponere noluit. Quodsi sagacissimus hic vir in vindicanda hac fabula acquiescere maluit quam de ejus argumento sententiam quandam excogitare, metuendum mihi certe est, ne arrogantiae et praecocis judicii me incusent quicunque hac in re versatissimi sunt. Sed antequam meliora meis docuerint VV. DD., meam haud pudet in medium proferre hac de re sententiam. Legitur igitur apud Plautum [7]) hic versus:

superavit *dolum* Trojanum atque Ulyssem Pseudolus,

---

1) *l. l. pag.* 1371. 2) *s. v. manubiae pag.* 138 *M.* 94 *G.* 3) *Ellendt ad Cicer. de Orat.* III. 3. 10.; *Bremi ad Corn. Nep. Cim.* 2. 4) *ad Varron. de ling. Lat. pag.* 163 *et* 303. 5) *pag.* 385 *ed. Speng.* 6) *Stieglitz de Pacuvii Duloreste pag.* 11. 24 *et* 28. 7) *Poenul.* IV. 8. 7.

et apud Homerum [1]:

ἐς ἀκρόπολιν *δόλον* ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς

et apud Virgilium [2]:

ipse *doli* fabricator Epeus,

quibus e locis patet, equum illum Trojanum *Dolum* dici solitum fuisse, ut satis mirari nequeas omnium Plauti editorum errorem, qui Dolum illo loco exarantes de Dolone Trojano, Eumedis filio, cogitarunt, quem errorem jam ante me notavit Beckerus [3]. Quae cum ita sint, Dolum et Equum Trojanum eandem fuisse fabulam, duplici nomine insignitam, conjicio. Sed dubitarunt de Equo Trojano, utrum Livii an Naevii sit. Quamquam Naevii, non Livii esse fabulam, sagacissime docuit Osannus [4], cui, novis argumentis allatis, adstipulatur Langius [5]. Male tamen et satis incongrue egit Bothius [6], qui, quamvis et ipse Osannum verum vidisse putet, nihilominus inter Livii fabulas Equum Trojanum recensuit. Quid de Duentzero [7] dicam nescio; temere enim neglecta Osanni argumentatione, Livio Andronico Naevianam hanc fabulam adscripsit; quod, cum me fugiat, quibus causis motus fecerit (nam nullas addit), non est, quod obnitar. Male Weichertus [8] quoque, quamvis Osannum et Langium citans, Livii laudat equum Trojanum. Naevii autem hanc esse fabulam, mihi quidem omnino persuasit Osannus: Livii enim fabulas vix a quoquam aetate Ciceronis intelligi potuisse affirmat. Argumentis autem ad comprobandam hanc rem allatis praeter ea, quae Langius congessit, haec addi poterant. Livianas fabulas dignas esse quae iterum legantur, Cicero [9] negat. Quid? fabulas, quae indignae dicuntur, quae relegantur, eas dignas habitas esse statuamus, quae in scena ederentur Ciceronis aetate, qua et Attii et Pacuvii fabulae edi solebant? Jam vero Attii Clytaemnestram in ludis a Pompejo iterum Consule anno DCLXXXXIX. in theatro Pompejano editis simul cum Equo Trojano editam

1) *Odyss.* VIII. 492. 2) *Aen.* II. 264. 3) *de com. Roman. fabul. pag.* 64. 4) *anal. crit. pag.* 5—9 *et* 147. 5) *vindic. tragoed. Rom. pag.* 6 *not.* 10. 6) *fragm. trag. pag.* 11. 7) *Livii Andron. fragm. pag.* 49. 8) *poet. Latin. reliq. pag.* 336. 9) *Brut.* XVIII. 71.

fuisse narrant [1]). Quid? cum praeclara illa Attii tragoedia Livii fabulam vix dignam, quae iterum legatur, edendam curasse Pompejum censes, qui quae fecit, in plebis gratiam et captandae aurae popularis causa egit? Sed accedit aliud etiam argumentum, idque gravissimum. Varro [2]) enim *ut in soluta, ait, oratione, sic in poematis verba non omnia, quae habeant ἔτυμα, possunt dici. Neque multa ab eo eruentur* [3]), *quem non erunt in lucubratione literae prosecutae, multum licet legeret. Aelii, hominis in primo in literis Latinis exercitati, interpretationem carminum Saliorum videbis et exili litera expeditam, et praeterita obscura multa. Nec mirum, quom non modo Epimenides post annos L. experrectus a multis non cognoscatur, sed etiam Teucer Livii post annos XV.* [4]) *ab suis, qui sit, ignoretur.* Post annos igitur XV. ne a suis quidem satis intellectus est Livius, post duo autem fere saecula praeterlapsa ab universo populo Romano intellectus? Postquam, ut cum Porcio Licinio [5]) loquar, bello Punico secundo Musa pinnato gradu in Romanam gentem bellicosam se intulit, mox obliterata videtur esse et Saliorum illa et, quae non multum iis politior erat, Livii Andronici Musa. Naevium autem multo his elegantiorem fuisse infra demonstrabimus; hoc autem loco satis est ad Ciceronis [6]) de eo judicium relegasse. Quae cum ita sint, Naevii est, non Livii Equus ille Trojanus. Sed alia est Stievii [7]) de hac fabula sententia. Virum enim aliquem Ciceroni aequalem sive Livii sive Naevii Equum Trojanum ita mutasse putat, ut suae aetati accommodatior esset. Ter enim millia craterarum, quas in edenda hac fabula suam movisse indignationem Cicero [8]) profitetur, cum Naevii et Livii simplicitate haud congruere dicit. At haec res nihili est, quemadmodum Regelius [9]) et Welckerus [10]) aptissime adnotarunt. Quae vero causa sit, cur et Livium

---

1) *cf. Drumann's Geschichte Roms* IV. *pag.* 523 *sqq.*; *Fischer's Römische Zeittafeln pag.* 248. 2) *de ling. Lat. pag.* 283 *ed. Speng.* 3) *addidi hoc vocabulum e conjectura Muelleri.* 4) *ita Muellerus cum codd. Goth. Haun. Paris a et b*; XII. *Spengelius cum Flor.* 5) *apud Gell.* XVII. 21. 6) *Brut.* XIX. 76. 7) *de rei scenic. apud Rom. orig. pag.* 86. 8) *ad Divers.* VII. 1. 9) *de re tragic. Rom. pag.* 38. 10) *l. l. pag.* 527 *not.*

et Naevium ejusdem nominis fabulas nonnullas, ut Aegisthum, Equum Trojanum, Virginem, reliquorum tragicorum more pepigisse putet, nescio. Quamquam vereor, ne nulla sit dicenda. De Aegistho enim post doctam Doellenii disputationem nihil relictum est dubium. Quae de Virgine cum reliquis Viris Doctis, qui in hoc orbe versati sunt, dicit, in errore sunt posita, quemadmodum suo loco docebimus. Restat una Equus Trojanus, de qua magis dubium judicium est, ita tamen dubium, ut verisimilius certe sit secundum ea, quae supra exposuimus, Naevii, non Livii hanc esse fabulam. Duo tantum exstant veterum loci, quibus additis poetarum nominibus ejus mentio fiat. Alter est Macrobianus [1]), qui Naevium, alter Nonianus [2]), qui Livium auctorem exhibet. Atqui in frequentissima horum poetarum confusione [3]) Naevium pro Livio substituere non dubito.

Jam in argumentum fabulae diligentius inquiramus, qua in re Plauto et Cicerone auctoribus uti licet. Duobus enim ille locis [4]) comparat astutiam illam, quam equum fabricando Graeci contra Trojanos adhibuerint, cum insidiis, quas senibus servi fallaces struere solent. Personae enim fabulae praeter alios, quos nescimus, hi certe erant: Epëus, Sinon, Ulysses, Agamemno, Menelaus, Priamus. Plautus autem non dubito quin Naevii fabulam respiciat ante Bacchides et Pseudolum editam, ut populus spectator verba et Chrysali et Simonis bene intellexerit. Sinonem etiam in busto Achillis humi prostratum et inde a Trojanis protractum postea Argivorum classi face signum dantem, equum super scissum limen portae Scaeae sive Phrygiae superum in arcem vectum comperimus. E Ciceronis autem verbis [5]) apparet, convivantes et laetitiae sese dedentes Trojanos cecinisse Naevium. Verba ipsa haec sunt: *quid enim delectationis sexcenti muli in Clytaemnestra, aut in Equo Trojano craterum* (codd. *crateras;* Graev. *cetrarum;* Osann. alii *craterarum*) *tria millia?* In extrema fabula [6]) Trojanos reddenda Helena ejusque opibus pacem petentes fecit [7]), frustra; sero enim sapie-

1) *Saturn.* VI. 1. *pag.* 157 *Bip.* 2) *pag.* 475 *Merc.* 3) *cf. pag.* 88. 4) *Bacch.* IV. 7. 1—53; *Pseudol.* IV. 8. 7. 5) *ad Divers.* VII. 1. 2. 6) *Cicer. ad Divers.* VII. 16. 7) *Festus pag.* 343 *Muell.*

bant. Quae res cum in Graecis fabulis non inveniatur, nescio quo jure Osannus [1]) et Welckerus [2]) Naevium in Equo Trojano Euripidis Epëum imitatum fuisse statuant, nisi hoc etiam loco Euripides, neglecta vulgari fabula, nova et ante eum inaudita finxit. Sed quaecunque de Euripidis Epeo nota sunt, ex Naevii Equo Trojano ad eam relata invenies. Itaque cum non absque verisimilitudine sit, Naevium Italas fabulas in Equo Trojano expressisse, hanc quidem fabulam ex Euripidis Epeo omnino fluxisse affirmari nequit; potuit enim Sophoclis etiam Sinonem vel Priamum exprimere. Quae autem de fabulis Italis dixi, Metapontum respiciunt, quod oppidum ab Epeo conditum esse Aristoteles primus [3]) narravit. A Metapontinis nescio an magnam partem acceperit Naevius ea, quae in Equo Trojano exposuit.

1.

Nonius [4]): *Livius* (leg. *Naevius*) *Equo Trojano:*

dá mihi
hásce opes, quás peto, quás precor, córrige,
ópitula.

Versus sunt cretici tetrametri.
corrigo ed. princ.; *porrige* mscr. Fabri et Vatic., conj. Gebhard. Delr. Scriver. Herm. Osann. Both. Duentz.

Verba sunt Sinonis a Priamo petentis, ut ea, quae a Graecis in se commissa sint, corrigere ipse velit. *Opes* enim de quovis auxilio dicuntur [5]).

2.

Macrobius [6]) *Naevius in Equo Trojano:*

nunquam hódie effugies quín mea mánū moriare.

quae verba Virgilium in usum suum convertisse dicit [7]).

Nunquam majorem habet negandi vim quam *non* [8]); certo etiam tempori haud raro adjungitur [9]).

---

1) *in Wolfii Analect.* IV. *pag.* 539. 2) *l. l. pag.* 523 *sqq.* 3) *in Westermanni Paradoxographis pag.* 36.; *cf. Justin. Philipp.* XX. 2.; *Ruhnken ad Vellej. init.*; *Welcker l. l. pag.* 524; *Osann Beiträge* I. *pag.* 280 *sqq.* 4) *s. v. opitula pag.* 475 *M.* 323 *G.* 5) *Horat. Epist.* I. 10. 36; II. 2. 136. 6) *Saturn.* VI. 1. *pag.* 157 *ed. Bip.* 7) *Eclog.* III. 49. 8) *Donat. ad Terent. Andr.* II. 3. 10 *et* II. 4. 7. 9) *Corte ad Sallust. Catil.* VIII. 5; *Donat. ad Terent. Adelph.* IV. 2. 31; *Plaut. Asinar.* III. 3. 40.

Nescio, an Aeneas loquatur, de occidenda Helena cogitans [1]). Sed nihil affirmo.

3.

Festus [2]):

séro sapiúnt Phryges.

proverbium est, natum a Trojanis, qui decimo denique anno velle coeperant Helenam quaeque cum ea erant rapta, reddere Achivis.

Ejusdem proverbii meminit Cicero [3]); *in Equo Trojascts esse in extremo*

sero sapiunt [4])

Versus dimeter est Creticus.

Verba Cassandrae esse possunt, cujus oraculis (nam et ipsa reddendae Helenae auctor fuerat) nunc demum fidem habent Trojani.

4.

Varro [5]): *in Dolo* (Naevius):

caperáta fronte . . . .

a caprae fronte.

caperrata cod. Flor.; *caperato* conj. Voss. ex Pacuvii versu apud Nonium [6])

Caperata frons est rugosa, contracta, animum vel tristem vel iratum indicans [7]).

Fragmentum ab eodem Festo [8]) servatum: *Livius*:

quó Castalia pér struices sáxeas lapsu áccidit

ex equo Trojano neutiquam depromtum est, ut Vossium et Bothium [9]) jam ipse versus docere poterat, qui, qualis apud Festum legitur, bonus est tetrameter trochaicus catalectus. Versus autem

Castalia per struices saxeas lapsu accidit

septenarius est, quo Plautum usum esse scio, Livium

---

1) *cf. Virg. Aen.* II. 575 *sqq.* 2) *pag.* 343 *Muell.* 3) *ad Divers.* VII. 16 *init.* 4) *cf. Welcker l. l. pag.* 525. 5) *de ling. Lat. pag.* 385 *Speng.* 6) *s. v. frontem pag.* 204 *M.* (*falso* 402 *apud Speng.*) 139 *G.* 7) *cf. Paul. Diac. pag.* 48 *Muell.*; *Nonius pag.* 8 *M.* 5 *G.*; *Plaut. Epid.* V. 1. 3. 8) *pag.* 310 *Muell.* 9) *fragm. trag. pag.* 11.

nescio. Mutant autem Vossius et Bothius: *Livius equo: Castalia* ect. Versus ipse Livii est.

Hector proficiscens.

Eadem est cum Andromacha fabula [1]).

Hesione

Unum hujus fabulae superest fragmentum, socco id quam cothurno dignius. Sed tragoediam Hesionam fuisse disertis verbis testatur Gellius [2]): *de lingula, quoniam est minus frequens, admonendum existimo, lingulam veteres dixisse gladiolum oblongum in speciem linguae factum, cujus meminit Naevius in tragoedia Hesiona. Versum Naevii apposui:*

α. β.
sine mihi gerere morem videar lingua. verum, lingula

Exstremam hujus versus partem legi etiam apud Varronem [3]) putabant: *apud Naevium in Hesiona:*

enimvero gladii lingula

Recte tamen Odofr. Muellerus [4]) haec non eodem, quo apud Gellium leguntur, loco posita esse posse affirmat; sed fallitur, ea vel sequentis versus initio ab ipso poeta superaddita fuisse vel ex glossemate irrepsisse putans. Pendent omnia ex recta hujus versus interpretatione, qui miro quodam modo omnes interpretes vexavit, usquedum Muellerus facem praetulit.

Cavere autem sibi Telamonem sive alium quem, ne verbis, non gladio valere et sibi ipsi placere videatur, Muelleri est sententia. Sed vereor, ut haec quidem interpretatio habeat, quo se tueatur; nam negatio in prima enunciationis parte deest, quam quidem interpretes praeter Bothium omnes post infinitivum *gerere* cum Stephano intruserunt, desideratam tamen illam in libris cum excusis tum manuscrptis. Quae cum ita sint, bene perspexisse Bothium existimo, non unius, sed duorum hominum verba esse, et, ut statim quae mea sit sententia eloquar, Telamonis Herculisque. Male autem Bothius verba ita emendavit digessitque:

α.
sine! mihi gere

β.
morem. Videtur lingua, verum lingula.

---

1) *cf. pag.* 93. 2) X. 25. 3. 3) *de ling. Lat. pag.* 385 *Speng.* 4) *ad Varr. l. l.* VII. 107.

Equidem versum ita distribuo et cum altero, quem Varro servavit, conjungo:

Tel. sine mi gerere morem videar lingua. Herc. Verum, lingula.
Tel. . . . . Herc. Enimvero gladii lingula.

Telamon enim, Hesionae precibus motus, Herculem orat, ut sibi liceat, i. e. *sine mihi videar*, Hesionen solari, i. e. *morem gerere lingua*; cui Hercules, fingens se intellexisse, velle Telamonem lingula, non lingua morem gerere Hesionae: *verum*, respondet, *lingula* i. e. recte dicis, lingula. Particula enim *verum* non adversativa hoc loco est, sed ironice adstipulantis [1]. Jam vero quaesivisse videtur Telamon, quamnam dicat lingulam, variae enim erant lingulae et diversissimae.[2]); *enimvero*, Hercules ait, *gladii lingula*.

Quam Graecam fabulam secutus sit Naevius, nescio; de Graeca enim fabula Hesiona nil relatum est.

Iphigenia.

Hujus etiam fabulae unus tantum superest versus, isque corruptissimus et a summis frustra vexatus viris. Invenitur apud Nonium [3]: *passum, extensum, patens. Naevius Iphigenia:*

pássa velod hóc vicinum, aquila, ónus hortum fér foras.

Libri *Efigenia* et *vel hoc v. aquilone hortum*. Emendarunt quotquot in explicando hoc loco versati sunt: Mercerius [4]:

passo velo vicinum, Aquilo, in portum fert orias;

Hadrianus Junius:

passo velo vicinam Aquilone horiam fert foras;

Lipsius:

passo velo vicinum Aquilone orto fer foras;

Delrio non liquet; Vossius:

passo velo ob [5]) vicinum Aquilone portum fer foras;

Bothius:

passo velod hanc vicinum Aquiloni portum perferas,

---

1) *Donat. ad Terent. Eunuch.* II. 3. 55. *ibiq. Perlet; Heauton.* V. 3. 11. 2) *Paul. Diacon. pag.* 116 *Muell.* 3) *s. v. passum pag.* 370 *M.* 252 *G.* 4) *ad Non. pag.* 751. 5) *ob pro ad positum dicit: cf. Fest. pag.* 176 *Muell.*

quae Dianae verba esse putat, nauclerum quendam, ut Iphigeniam immolantium manibus recens ereptam ad Taurica litora perferat, orantis; quippe licuisse Naevio, ut rem humanitus fingeret [1]). Facillima mihi quidem mea videtur conjectura et a literarum ductu haud nimium recedens, Ita autem explico. Aquilas Dianae sacras fuisse, gravissimus Aeschyli [2]) locus docet, in quo quod *αἰγυπιοὺς* Aeschylus vocat, neminem offendet. Legitur enim de his apud Aelianum [3]); *τοὺς αἰγυπιοὺς ἐν μεθορίῳ γυπῶν ὄντας καὶ αἰετῶν* [4]) cet. Videtur autem poeta ad Ganymedem respicere, qui et ipse ab aquila sublatus erat; ita Iphigeniam quoque ab aquila subferendam ex sacrificio Diana curat. In fabulis quidem nihil certi relatum est, quo modo Chalcide in Taurida pervenerit [5]). Sed per medium aetherem se eo a Diana missam esse ipsa apud Euripidem [6]) profitetur.

Onus de iis, quae portantur, ita usitatum est, ut ipsum uteri onus significet [7]); *vela* autem de aquilae alis eodem modo dicta sunt, quo vulturibus ab Aeschylo [8]) *πτερύγων ἐρετμοί* tribuuntur [9]); neque *passa vela* inusitata [10]). *Hortum* autem *τέμενος* Dianae, *τὸ ἑρκτὸν τῆς θεᾶς* dictum puto. Noli praepositionem *in* desiderare ante accusativum [11]).

Lycurgus.

Plurimae quamvis hujus fabulae supersint reliquiae, nihilominus ne de eo quidem inter Viros Doctos constat, utrum tragoedia fuerit an comoedia. Quod enim Bothius in tragoediis eam recenset, id mire factum esse Osannus [12]) contendit, qui, ut sua de hac fabula obtineat conjectura, nec comoediam nec tragoediam, sed Laevii carmen mixtum fuisse Lycurgum sta-

---

1) *eodem modo Jovem etiam hominem a Naevio dictum esse putavit; cf. fragm. Dan.* 2. 2) *Agamemn*, 49 *Well.* 3) *de nat. animal. pag.* 48 *Jacobs.* 4) *Gesner histor. animal. pag.* 189 *et* 756 *citante Jacobsio.* 5) *Welcker in Mus. Rhen.* V. *pag.* 458. 6) *Iphig. Taur.* 29. 7) *Burmann ad Ovid. Heroid.* XI, 64. 8) *l. l.* 9) *ita etiam Latini; Virg. Aen.* VI, 19: *remigio alarum*; *Lucret.* VI. 743 *pennarum vela*; *cf. Dorville ad Charit. pag.* 262 *Beck.* 10) *Moser ad Cicer. Tuscul.* I. 49. 118. *pag.* 409. 11) *Corte ad Lucan. Phars.* V. 572. VII. 477. 12) *in Zeitsch. f. Alterthumsw.* 1836 *pag.* 972.

tuit, rejecta temere eorum sententia, qui aliter sentiunt. At vero quam manca et debilis Osanni est argumentatio! Noniani enim libri [1]) ita Lycurgum citant: *Naevius Lycurgo libro II.*, unde Osannus concludit, carminis Lycurgi plures fuisse libros, ut Erotopaegnion Laevii. Sed Andromachae quoque fragmentum [2]) a Prisciano ita allegatur: *Naevius in III. Hectore proficiscente*, unde, si sibi constare velit Osannus, aeque concludendum ei est, hoc quoque Laevii fuisse carmen [3]). Sed de hac re mox plura. Comoediam, Graecam Anaxandridis cognominem imitantem, agnoscunt Duentzerus [4]) et, qui ab eo hac in re pendent, Orellius [5]) et Welckerus [6]). Vehementer miror, in re expeditissima tam diu errari potuisse. Duobus quidem apud Athenaeum [7]) locis Anaxandridis Lycurgi mentio fit; nullus tamen comicus color in Naevii Lycurgo est, sed tragicum colorem omnia fere fragmenta quasi inustum gerunt. Quae enim de Sileno Lycurgum increpante apud Duentzerum leguntur, ea temere in Lycurgum illata, et quae de capto Sileno afferuntur, ea omni argumento carent. Aeschyli Lycurgum sive potius Lycurgiam imitatus est Naevius ita, ut multa ex Euripidis Bacchis sumeret, nisi et ipse Euripides Aeschylea plurima suffuratus est. Ne praeripiam, quae ad ipsa fragmenta annotanda habeo, lectores, si qui erunt, rogatos volo, ut Naeviana cum Aeschyleis et Euripideis mecum comparare velint. Dolendum quidem est, de Aeschyli etiam Lycurgia tam multa in incerto et obscuro posita esse; sed quamvis pauca sint extra dubium posita, sufficiunt tamen ad ea illustranda et comprobanda, quae de Lycurgo tragoedia contendimus. Veterum autem de Lycurgo fabulae adeo diversae sunt [8]), ut, quam aut Aeschylus aut Naevius secuti sint, certo affirmari nequeat, illud autem, quam de Lycurgo poenam sumserit Bacchus Aeschyleus, omnino incertum sit relinquendum [9]). Itaque veniam, spero, habebit, quod in constituendis

---

1) *cf. fragm.* 9. 2) *pag.* 92. 3) *cf. Welcker die Griech. Tragoedien pag.* 1204 *et* 1370. 4) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 433 *sqq.* 5) *excurs.* II. *ad Horat. art. poetic. pag.* 656. 6) *l. l. pag.* 1370. 7) *cf. Meineke comic. Graec. fragm.* I. *pag.* 371. 8) *Zoega's Abhandlungen pag.* 2—14 *sqq.*; *Hermann. de Aeschyli Lycurgia pag.* 17. 9) *Welcker Trilogie pag.* 320 *sqq.*

fragminibus a conjiciendo non abstinui. Quae enim ad explicandas reliquias interpretes attulerunt, maximam partem aut falsa aut nullius momenti sunt. Noli vero mirari, quod Naevium e Lycurgo Aeschylea et Pentheo Euripidea suam composuisse fabulam dixi; ita enim in scribendis fabulis et Naevium et Ennium egisse disertis Terentius [1]) verbis affirmat. Quodsi Pahlius [2]) in Naevium haec cadere negat, fallitur; nam, quamvis de comicis fabulis cum eo consentire possis, de tragoediis tamen negari illud omnino nequit. Naevianae enim comoediae, utpote veterem Atticorum comoediam imitatae, vix e duabus fabulis in unam componi poterant.

Aeschyli Lycurgiae quod fuerit argumentum, et Welckerus [3]) et Hermannus [4]) descripserunt. Totius rei summa eo redit: in Edonis capitur Bacchus et a Lycurgo saeviente cum ministris suis carceri includitur; in Bassaridibus qui modo victi et in vincula conjecti erant, divino auxilio liberati, injuriam sibi illatam ulciscuntur; in Neaniscis denique Edoni, agnita Dei vi et potentia, cum ipso Lycurgo ejus sacra amplectuntur. Quamquam de Neaniscis minus constat. Idem Lycurgi Naevianae argumentum est. Quae cum ita sint, male, ni fallor, Nonii verba, quibus hanc fabulam affert, mutanda censuerunt quicunque de hac re scripserunt. Leguntur autem ita: *Naevius Lycurgo II.* Librum enim secundum Bassaridas Aeschyli vel secundam trilogiae fabulam, quam totam Naevius in Latinum sermonem convertit, significare arbitror, unde non mirum est, tot hujus fabulae superesse fragmenta, cum e plurimis singuli tantum versus servatos invenias. Eodem modo Andromachae fragmentum ita a Prisciano citatur: *Naevius in III. Hectore proficiscente,* quae verba tertiam trilogiae, cui apud Astydamantem Hectoris nomen erat, indicant, cujus trilogiae prima vel altera fabula Andromachae inscriptione insignita erat. Quae si minus placuerint, nescio, an ita haec res explicanda sit. Lampadionem Naevianorum carminum censuram instituisse constat [5]), ita fortasse, ut universa ejus opera in nescio quot libros divideret;

---

1) *Andr. prolog.* 17. 2) *de fabula Romanorum palliata et togata* (*Berolini* 1841) *pag.* 39. 3) *l. l. pag.* 320. *et Nachtrag pag.* 103. 4) *l. l.* 5) *cf. pag.* 26.

quod si vere factum est, grammatici, qui quidem Lampadionis hac recensione utebantur, librorum numerum addiderunt, ne in magna carminum copia in quaerendis fabulis laudatis lectores diu laborarent. Mihi quidem illa praeplacet sententia. Sed de hac re judicium penes me doctiores esto.

1.

Nonius [1]): *melos genere neutro. Naevius Lycurgo:*

. . . . suavisonum melos.

Ita scripsi praeeunte Scaligero, adstipulantibus Vossio, Both. Duentz.; *suave summum* mss.; *suavissimum* Scriver.; nec displicet Bothio *suave sumam* vel *sume melos.* Verba Euripidem [2]) imitantur:

ἀδυβόα Φρυγίων
αὐλῶν πνεύματι.

Attius de iisdem Bacchis [3]) citante eodem Nonio:

acre crepantes melos.

2.

Nonius [4]): *liquidum significat molle et fluxum. Naevius Lycurgo:*

jam solis aestu candor cum liquesceret.

cui cod. Bernens.; *caro colliquesceret* cj. Gerlach. *axe* conj. Both. in emendatt. Nonianis.

Descriptionem veris esse putat Duetzerus; *candorem* enim dici glaciem. Falso. Nam nusquam hanc vocis significationem invenies, quamquam *candorem nivalem* Virgilius [5]) dixit. Locus interpretatione adhuc eget. *Candor* solis *calorem* significat [6]). *Aestu* autem negativo vel causativo illo sensu dictum est, ut sit pro *cessante aestu* [7]). Itaque solis candor cessante aestu liquescens, i. e. mollis factus, significat tempus postmeridianum vel vespertinum. De mane Euripides [8]):

ἡνίχ' ἥλιος
ἀκτῖνας ἐξίησι θερμαίνων χθόνα.

---

1) *s. v. melos pag.* 213 *M.* 144 *G.* 2) *Bacch.* 127 *Ddf.* 3) *Bacch. fragm.* 6 *Both.* 4) *s. v. liquidum pag.* 334 *M.* 228 *G.* 5) *Aen.* III. 538. 6) *Claudian. Cons. Prob. et Olybr.* 218. 7) *Lobeck. ad Sophocl. Aiac.* 305; *Dillenburger Quaest. Horat.* II. *pag.* 120. — 132. *et in Zeitschr. für Alterth.* 1842. *pag.* 610., sqq.; *ibiq. Grauer* 1842. *pag.* 5. sqq. 8) *Bacch.* 678 *Ddf.*

Verba nuntii sunt, qui cum iis, quos defendendorum a Bacchis imperii terminorum causa miserat Lycurgus, captis Baccho ejusque ministris plurimis, rediens regi, quae viderint et egerint custodes, narrat. Tota res etiam apud Euripidem [1]).

3.

Nonius [2]): *Naevius Lycurgo*:

lónge latéque trans nóstros férvere.

Versus dimeter creticus cum monometro trochaico hypercatalecto, quales apud Plautum inveniuntur complures [3]). Sed sensu carere hunc versum omnes perspexerunt interpretes, qui, excepto Bothio et Duentzero, Grotii emendationem amplexi sunt: *Thracia* pro *trans* substituentis; *Thraces* conj. Both. prob. Duentz. Mihi quidem omissum aliquod nomen videtur, quod, majori intervallo ab adjectivo suo distans, addere Nonius noluit, vel *fines* vel *terminos*. Verba nuntii sunt, qui Bacchicum tumultum non solum in Edonum terra, sed longe lateque trans Lycurgei regni fines grassari regi suo refert.

4.

Nonius [4]): *Naevius Lycurgo*:

tuós qui celsos términos tutánt . .

Praecedens fragmentum ab omnibus interpretibus pessime cum hoc conjunctum est, ut diversissima in utroque versu pronomina *nostros* et *tuos* comprobant. Sermo de iisdem custodibus esse videtur.

5.

Nonius [5]): *angues masculino genere. Naevius Lycurgo*:

alté jugatos ángues in seseé gerunt.

jubatos margo Hadr. Jun.; *jubatos* et *in sinu* conj. Scriver.; *jubatos* et *infestae* conj. Voss. ad Plautum [6]) provocans et locum de Furiis intelligens; *jubatos* et *inlaesae* conj. Both., de Bacchis sermonem esse recte

---

1) *l. l.* 434. 2) *s. v. fervit. pag.* 503 *M.* 343 *G.* 3) *cf. Hermann Element. pag.* 216. 4) *s. v. tutant pag.* 476 *M.* 323 *G.* 5) *s. v. angues pag.* 191 *M.* 130 *G.* 6) *Amphitr.* 956.

affirmans. Nihil mutandum, ut bene perspexit Duentz. Anguibus enim Bacchas vestes suas cingere solitas fuisse, Euripides [1]) testatur. In collo autem serpentes a Bacchis gestatos esse, effigies in vase fictili docet [2]), quae et ipsa Lycurgum repraesentat a Baccho Furiarum ope punitum. Est enim in ea femina humi prostrata, cujus circa collum panni instar anguis cinctus est, quam Pomonam esse non persuasit mihi Zoega [3]); Baccham agnosco, imprimis cum in mediis Bacchis posita sit. *Jugandi* autem verbum saepe cum *nectere* conjungitur [4]), et *alte jugatus* eodem fere modo dictum est atque apud Ciceronem [5]) *sublime fixus;* igitur *alte jugatos gerunt* significat: *excelse, sublime in collo gerunt* [6]).

6.

Nonius [7]): *Naevius Lycurgo:*

dic, quo pacto eum potiti, pugna, - an dolis? . .

Bothius *pugnad* et alio loco [8]) *pugnan'*.

Quaerit Lycurgus e satellitibus suis, quo pacto Baccho potiti sint. Neglecta de fugiente Deo et a Thetide in medios fluctus recepto fabula, Aeschylus captum Bacchum finxit [9]) qua in re sequitur in Bacchis Euripides [10]). Bacchus autem, si ex Euripide de Aeschylo et Naevio concludere licet, neque pugna neque dolo captus, sponte Lycurgi ministris sese dedit. Similmus locus est apud Sophoclem [11]). Falsa sunt, quae de Sileno capto adnotat Duentzerus [12]).

7.

Nonius [13]): *creterra est, quam nunc situlam vocant* [14]). *Naevius Lycurgo:*

. . . . nam ut ludere laetantes inter se vidimus praeter amnem, creterris sumere aquam ex ponte. . .

---

1) *Bacch.* 696 *Ddf.*; *cf. Mitscherlich lection. in Catull. et Propert. pag.* 112; *Jacobs ad Philostrat. pag.* 494. 2) *Zoega's Abhandlungen Tafel* I, 1. 3) *l. l. pag.* 29. 4) *cf. Interprett. ad Cic. Tusculan.* III. 8. 17. 5) *de Divin.* II. 31. 67; *Oehmer ad Olivet. Eclog. Cicer. pag.* 55; *Doederlein Synonym.* II. *pag.* 100. 6) *cf. Eurip. Bacch.* 767. 7) *s. v. potior pag.* 481 *M.* 327 *G.* 8) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 270. 9) *cf. Welcker Nachtrag pag.* 115. 10) *l. l. p.* 436. 11) *Philoct.* 593 *Nev.* 12) *l. l. p.* 439. 13) *s. v. creterra pag.* 547 *M.* 375 *G.* 14) *cf. pag.* 47.

ex ponte cod. Leid.; *propter amnem* Hadr. Jun.; *ex fonte* conj. Hadr. Jun. Bothii et Duentzeri emendationes, metri causa maximam partem factae, inutiles et nihili sunt; versus enim tetrametri trochaici, in quibus non dubito quin ultimam vocem vocalis longa secuta sit, cum qua illa coaluerit. Bothius conjecturam suam duplicem duplici loco proposuit[1]:

nam ut ludere propter amnem inter se vidimus
laetantes, et creterris aquolam sumere
ex fonte.
nam ut ludere propter amnem inter se vidimus
laetantes et creterris fontem sumere,

aquam ex fonte tanquam glossema exulare jubens; Duentzerus[2]:

nam ut ludere laetantes inter se vidimus
amnem propter, creterris sumere aquam ex ponto,

versu altero pessimo utpote claudo.

Exponit chorus Edonum sive choragus vel nuntius, quo modo, cessante Bacchico tumultu (nam in ipso tumultu terrore Panico correpti erant custodes[3]), regis Lycurgi ministri Bacchas ceperint. Bacchae enim praeter amnem ludentes et in ponte stantes, e flumine aquam haurientes, a satellitibus raptae esse videntur. Similiter Euripides[4]).

8.

Nonius[5]): *mutus sonus est proprie, qui intellectum non habet. Naevius Lycurgo:*

dúcite eo cum argútis linguis mútas quadrupedés..

cum omitt. Scaliger. Quae de restituenda antiqua voce (scribi enim mavult *argutilinguis* omiss. *cum* probant. Duentz.) et metro Bothius monet, futilia sunt; nam vox antiqna desideratur nulla, et metrum trochaicum, quamvis in fine mutilum, sanissimum est. Frustra igitur Vossius quoque, de metro jambico cogitans, hunc versum tentat.

Mutas quadrupedes pardos aut leaenas esse cum Welckero[6]) putat Duentzerus. Sed alia plane, atque

---

1) *fragm. trag. pag.* 90 *et in Mus. Rhen.* V. *pag.* 271. 2) *l. l. pag.* 436. 3) *cf. fragm.* 24. 4) *l. l.* 766. 5) *s. v. mutus pag.* 9 *M.* 6 *G.* 6) *Nachtrag pag.* 110.

Duentzerus opinatur, Welckeri sententia est. Mugitum enim, non rugitum, fuisse illum sonum, ex Aeschyleae tragoediae fragmento apparet:

ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνται
ποθεν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι[1]),

quae verba Welckerus recte ita interpretatur, ut e loco oculis subducto sonos taurorum voci similes auditos esse dicat[2]). Sed a quo emissi, quaeso, hi erant soni? *Mutae quadrupedes* non dubito quin ipsae Bacchae a Lycurgo dicantur, quas alio loco[3]) *pecua* vocat. In silvis enim vel antris boum instar Bacchas mugisse, ex Euripide[4]) notum est. Neque Satyrorum vocem equorum hinnitui et hoedorum balatui dissimiles fuisse, Plutarchi locus a Welckero[5]) allegatus docet, qua ipsa de causa Satyros hoedos dictos fuisse dicit.

Verba Lycurgi sunt, Bacchas in carceres duci jubentis[6]). *Mutas* autem *quadrupedes* Bacchas vocat, tum quod quadrupedes voce imitabantur, tum quod *mutae* dicuntur animalia oppositione μερόπων ἀνθρώπων[7]).

9.

Nonius): *arvae feminino. Naevius Lycurgo libro II:*

quaquá - incedunt ómnes arvas óbterunt.

Sic libri manuscripti. Felicissime locum ita restituisse Mercerium praedicant Bothius et Duentzerus:

Liberi, quaqua - incedunt, omnes arvas obterunt.

quamquam Bothius *quaquad* legere mavult. Minime vero; omnia sanissima[9]). Quinam enim, si Mercerii amplecteris emendationem, illi sunt, qui Liberi arva obterunt? Lycurgine ministri? Haec quidem Duentzeri explicatio est, qui Silenum Baccho exponere statuit, ab Edonis omnes vites deleri. At de Sileno capto cogitare vereor ne audacius sit, et, cum primum in Edonum regnum Bacchicus ingruit tumultus, a Lycurgo

---

1) *apud Strabon.* X. *pag.* 470 *Cas.* 2) *Trilogie pag.* 324. 3) *fragm.* 22. 4) *l. l.* 691 *Ddf.* 5) *Nachtrag p.* 120. 6) *cf. Eurip. Bacch.* 444 *et* 509. 7) *Dorville ad Cha·it. pag.* 666 *Beck.*; *de alia hujus vocabuli notione cf. Dorville l. l. p.* 353; *Giese ad Cicer. de Divin.* II. 12. 29. 8) *s. v. arva pag.* 192 *M.* 131 *G.* 9) *cf. pag.* 93 *et* 109.

Bacchus ejusque socii aut propulsati aut capti sunt, neque vites serere potuerunt.

Refert nescio quis, Bacchum Bacchasque e vinculis elapsas omnia arva furibundas obterere sataque prosternere [1]).

10.

Nonius [2]): *contendere significat comparare. Naevius in Lycurgo:*

cave, sis, tuám
conténdas iram cóntra cum ira Líberi.

Conjungit cum hoc fragmento Duentzerus versus Naevianos a Festo servatos [3]), quos e Lycurgo desumtos esse eo minus reddi potest probabile, quo certius esse credo, non Anaxandridis comoediam, sed Aeschyleam tragoediam ad imitandum propositam fuisse Naevio. Ne id quidem bene factum est, quod alios versus, qui apud Nonium inveniuntur, Naevianos [4]) cum hisce arctissime conjunxit. Sermo enim non de justitia, sed de potentia Bacchi est.

Verba sunt nescio cujus [5]), Lycurgum admonentis, ne elapsas Bacchas ad poenam sumendam requirere, et cum potentissimi Dii, Bacchi, ira confligere velit.

11. 12. 13.

Varro [6]): *Apud Naevium:*

. . . *nisi égomet mecum, cássabundum íre ébrium*

cassabundum a cadendo. Idem

diábathra in pedibus habebat et érat amictus épicroco;

utrumque vocabulum Graecum.

Ennium codd. Haun. Goth.; *Naevium* vel *Nevium* cod. Flor. et editt. omnes; *nisi egomet* editt. Paris. et Gryph.; *me* cod. Vertran. editt. princ. Rholand. Sciopp.; *mecum* cum editt. ceterr. omisit Both. injuria [7]); *casabundum* Turneb. et Sciopp.; *cassabundus a cadendo* codd. Haun. et Goth.; *diabatra* prim. man. Haun.; *pecudibus* codd.

---

1) *cf. Eurip. Bacch.* 753. 2) *s. v. contendere pag.* 259 *M.* 176 *G.* 3) *cf. fragm. comic. incert.* 4. 4) *fragm.* 14. 5) *apud Euripid. Bacch.* 325 *Tiresiae.* 6) *de ling. Lat. pag.* 335 *Speng.* 7) *Lindemann ad Plaut. Capt.* V. 1. 10.

omnes; *pedibus* editt. omnes praeter princ. et Roman. quam vetustam dicit Speng.; *habebat* omitt. Haun.; *et* deest in Goth. Haun. Paris. a. Venet. I. et II. Ald. Basil. Paris. Gryph.; *epicroco similis* Rhol. Venet. I. et II. Ald. Basil. Par. Gryph. Alter versus apud Spengelium et Muellerum ita legitur:

diabathra in pedibus habebat amictus epicroco

e codice, quemadmodum affirmat Spengelius, Florentino. Quamquam false hoc loco codicem ab editore exscriptum esse, mecum communicavit Car. Lachmannus.

Conjunxit utrumque fragmentum jam Scaliger [1]), qui e Lycurgo ea depromta esse primus agnovit: *mirum*, ait, *ni ex Lycurgo Naevii.* Conjungo cum his versibus eum, qui apud Nonium invenitur simillimus: *patagium* [2]), *aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet; caltula* [3]) *et crocotula, utrumque a generibus florum translatum, a calta et a croco. Naevius Lycurgo:*

pállis, patagiis, crocotis, málaciis, mortuálibus

priore loco *crocatis* edit. Parm. 1480; *malicis* eadem, cod. Guelf. Merc.; *manicis* Ald. Hadr. Jun. Both. [4]); *malaciis mortalibus* margo Jun.; codices teste Bothio [5]) *malatiis* [6]) aut *malaciis; patagis* et *malacis* Gerl. et Roth.; altero loco *patagiis* et *malatiis*. Quibus versibus conglutinatis Naevii locus hic est:

. . . risi égomet mecum, cássabundum ire ébrium;
díabathra in pedíbus habebat, et érat amictus épicroco,
pállis, patagiis, crocotis, málaciis, mortuálibus.

In explicandis his versibus diversissimi sunt Bothius et Duentzerus. Ille enim pallis, patagiis, crocotis et malaciis tanquam mortualibus stratum campum fuisse statuit, quae vestimenta, a fugientibus Bacchis relicta, mortualia dicantur, quod Bacchae morti a Lycurgo destinatae sint. Sejungit enim versum extremum a prioribus. Plane alia est Duentzeri [7]) senten-

---

1) *ad Varron. l. l. pag.* 208 *ed. Bip.* 2) *s. v. patagium pag.* 540 *M.* 370 *G.* 3) *s. vv. caltulam et crocotulam pag.* 548 *M.* 376 *G.* 4) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 271. 5) *l. l.; nil adnotat Gerlachius.* 6) *recte malaciis: Welcker ad Philostr.* LX. *not.; Dousa cent. Plaut.* I. 13. *pag.* 113; *Weichert poet. Lat. reliq. pag.* 438. 7) *l. l. pag.* 435.

tia. In initio enim fabulae regem repraesentatum esse opinatur venantem cum comitibus, quorum nonnulli longius venando progressi Bacchum cum comitatu propter amnem [1]) incedentem viderint visaque regi suo referant. Quae mihi quidem neutiquam satisfaciunt. Verba Lycurgi sunt, quem, nescio quis, admonuerat, ne cum Deo praepotenti confligat; respondet rex, se quidem vidisse hominis effeminati potentiam; nam antea jam, cum captum Deum istum carceribus includendum ministris tradiderit, risisse se ejus ebrietatem et mollitiem [2]). Quae cum ita sint, nescio, quae causa sit, cur comicum hoc in loco colorem agnosci contendat Duentzerus. Quod enim omnes longas et muliebres vestes ad unum Bacchum refert Lycurgus, id indignantis est. Vestitu enim muliebri usum esse Bacchum constat [3]). Praeter reliqua vestimenta crocotulas etiam mollium feminarum fuisse, ex Arari comici fragmento [4]) apparet:

πάρθενος δ' εἶναι δοκεῖ
φορῶν κροκωτοὺς καὶ γυναικείαν στολήν.

Κροκωτόν Bacchi vestem dicit etiam Cratinus in Dionysalexandro [5]). De *διαβάθροις* locus est apud Athenaeum [6]); de palla et patagio disputavit Beckerus [7]). *Mortualia* significant *madidum myrrha crinem mollesque coronas* [8]). Mortuos enim coronis ornare et unguere solebant [9]). Neque satis scio, an crocotulam poeta respiciat, cum divitum cadavera splendidis vestibus induerentur [10]). Alia hujus vocis significatio est apud Plautum [11]).

---

1) *cf. fragm.* 7. 2) *cf. Eurip. Bacch.* 234; *Fritzsche ad Aristoph. Thesmoph.* 145 *pag.* 47 3) *Welcker Trilog. pag.* 321 *not.*; *Nachtr. pag.* 110 *not.*; *Jacobs ad Philostr. pag.* 300; *Thiersch ad Aristoph. Ran.* 46. 4) *apud Polluc.* VII. 65. *Meineke* III. *pag.* 273. *cf. Becker's Charikles* II. *pag.* 327 *et* 352. 5) *Meineke* II. *pag.* 37. 6) XIII. *pag.* 568 *b. Cas.*; *Boettiger's kleine Schriften* III. *pag.* 69. 7) *Gallus* I. *pag.* 323 *sqq.* 8) *verba sunt Ovidii Metam.* III. 554. 9) *Becker's Gallus* II. *pag.* 276; *Charikles* II. *pag.* 171. 10) *Becker's Gallus* II. *pag.* 277. 11) *Asin.* IV. 1. 63, *ubi vide Limiers.*

14.

Nonius [1]: *injurie, dictum pro injuriose* [2]. *Naevius Lycurgo:*

α. Lyc.

óderunt Dí hominés injurios. *Egone an ille injúrie fácimus?*

injuriose libri adhaerente prima sequentis vocis litera; *injurios* corr. Acidal. prob. Mercer.; *injuros* conj. Both prob. Duentz., male, cum vox *injurus* dubiae fidei sit [3].

Duentzerus cum hoc fragmento versus conjungit a Festo et in glossario Forneriano servatos [4], qui cum nec Lycurgi nomen prae se ferant et comici aperte sint, huc neutiquam pertinent. Verba autem ipsa Sileni esse dicit, Lycurgum vehementer increpantis. Sed de Sileno capto supra jam sententiam nostram aperuimus [5]. Verba ejusdem sunt, qui, praetexta Bacchi majestate et potentia, Lycurgum regem a persequendo iterum Baccho deterrere frustra conatus erat. Jam vero admonet Lycurgum, frustra iterum, de conatuum nefariorum suorum improbitate [6].

15.

Nonius [7]: *amnem feminino* [8]. *Naevius Lycurgo:*

α. Lyc.

séd quasi amnis cís rapit. *Sed támen inflexa fléctitur.*

amnis rapida conj. Merc.; *amnis cum rapida 'st, tamen* conj. Voss; *sic quasi amnis res rapit* conj. Both.; *cis rapida est* conj. Duentz; mecum libri mss.; *in flexu* libri; *in fluxu* conj. Mercer. prob. Voss.; *implexa* conj. Both. [9]; *implexu* idem [10]; *inflexa* Ald. et Hadr. Jun.

Sileno hunc versum totum tribuit Duentzerus, ut Lycurgum adhortetur, ne animo iraeque indulgeat, cum, quemadmodum amnis modo rapida sit, modo ta-

---

1) *s. v. injurie pag.* 124 *M.* 85 *G.* 2) *cf. Plaut. Epid.* IV. 3. 29. 3) *apud Plaut. Pers.* III. 3. 4 *enim alii injure, alii injurie exhibent.* 4) *cf. fragm. com. incert.* 4. 5) *fragm.* 9. 6) *cf. Eurip. Bacch.* 476. 7) *s. v. amnem pag.* 191 *M.* 130 *G.* 8) *Osann Beiträge* II. *pag.* 220. 9) *fragm. trag. pag.* 87. 10) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 270.

men locus veniat, ubi cogente ripa flectatur, ita ne atrocissimus quidem in ira sua semper perseverare possit. Eandem fere sententiam Bothius professus erat. Versus non unius personae est, sed dimidius ejusdem est, qui in avertendo Lycurgo a pernicioso persequendi Bacchi consilio laborat, dimidius ipsius Lycurgi. Obsecrat enim ille regem suum, ne ipsos cives suos evertat, quos et ipsos furore Bacchico, ut qui amnis instar ultra serpat, correptos esse dicit [1]). Cui Lycurgus, amnem ultra litora progressum, modo inflectatur et Maeandri instar flexuosum cursum tenere cogatur, facile reprimi posse respondet; ita se quoque cauturum esse, ne in hac labe cives sui diu perseverent [2]).

Cis pro *ultra* poni, exemplis additis Nonius [3]) docet.

16.

Nonius [4]): *acrimonia est animi vivacitas. Naevius Lycurgo:*

ne ille mei feri ingenî atque animi ácrem-acrimóniam.

mei fert ingenii conj. Bongars.; *nae ille mei fert* conj. Scriv.; *nae limet* vel *elimet* (quod verbum pro *purget* seu *diminuat* dici vult) *feri ingenid* conj. Both. Verbum scilicet desideraverunt. Recte hoc loco Duentzerus verbum, quod desiderant, aut altero versu secutum aut, ut in oratione concitata fieri solet, omissum putat. In eo autem fallitur, quod *accuset* sive *mihi exprobret* omissum esse arbitratur et verba a Lycurgo ad Silenum dicta opinatur. *Ille* de Lycurgo falso accepit Bothius, de Baccho bene Duentzerus. Verum verba non excusantis sed saevientis et furibundi sunt ita, ut, cum iterum admonitus esset Lycurgus, ne iniquam cum Deo praepotenti pugnam conserat, se vereri respondeat, ne ille feri sui ingenii atque acrem animi atrocitatem experiatur [5]). Ferox igitur regis ingenium cum mitigari sese non patiatur, accedit cum militibus suis ad ea, quibus Bacchae orgia celebrabant, loca, igni et ferro exstincturus quidquid ad Bacchi cultum pertineat.

---

1) *cf. Welcker Trilog. pag.* 322; *Hermann. de Aesch. Lycurg. pag.* 8. 2) *cf. Eurip. Bacch.* 778 *sqq.* 3) *pag.* 92 *M.* 64 *G.* 4) *s. v. acrimonia pag.* 73 *M.* 52 *G.* 5) *cf. Eurip. Bacch.* 785 *sqq.*

17.

Nonius [1]): *fimbriae sunt omnis extremitas. Naevius Lycurgo:*

. .' . . . út videam Volcáni opera
haec flámmis fieri flóra . . . ' . .

Ita libri mss.; *flaminis* editt. Ald. et Jun.; *fimbriis fieri florida* conj. Jun.; *flammis fimbri flora* conj. Both. *fimbrias* alio alii loco addunt; *flammis* a Duentz. ejicitur, ut glossema redolens; *flammis flora fieri* metri gratia Bothius. Corruptelam haud dubie hic Nonii locus traxit; nam in Naevii versu lemma illud, cujus causa citatur, deest. Verum vidit primus Mercerius [2]): *locus Naevii*, ait, *ad aliam notam pertinet, qua monuerat elegans verbum* f l o r a *e Naevii Lycurgo, e quo etiam videtur adduxisse exemplum fimbriarum, et a librario omissa, quae inter duas voces similes, ut solet.*

Vites igni comburi jubet Lycurgus, ut *Volcani opera flammis illa loca florea fieri videat. Flora* pro *florea* positum esse jam Vossius [3]) annotaverat [4]). *Florentia lumina* flammas apud Lucretium [5]) dici Bothius monet.

18.

Nonius [6]): *i n g e n i u m veteres dixerunt et* s u a *s p o n t e vel* n a t u r a [7]). *Naevius Lycurgo:*

vos, qui regalis córporis custódias
agitátis, ite actútum in frundiferós locos;
ingénio arbusta vinéta sunt, non óbsita.

regalis mss. Merc. editt. Scal. Turneb. Venet. 1483; *regali* mss. Gerlachii, ut videtur; *agitatis* cod. Genevens. probant. Roth.; *agitis* ceteri; *ite, ite* conj. Duentz.; *indu* Both.; *frondifluos* cod. Palat. edit. Venet. 1483; *lucos* libri omnes metro claudo; bene *locos* [8]) substituit Both. prob. Duentz.; *arbusta ubi nata sunt* conj. Scal. [9]) probb. Merc. Both. Reuvens. Duentz.; *lucos*,

---

1) *s. v. fimbriae pag.* 109 *M.* 75 *G.* 2) *ad Nonium pag.* 678. 3) *l. l. pag.* 71. 4) *cf. Mueller. ad Paul. Diacon. pag.* 94. 5) IV. 452. 6) *s. v. ingenium pag.* 322 *et* 323 *M.* 220 *G.* 7) *cf. Reuvens collect. liter. pag.* 99; *Bach ad Ovid. Metam.* VI, 575. 8) *Ruhnken ad Rutil. Lup. pag.* 92 *Frotsch.* 9) *l. l. pag.* 46.

ubi ingenio arbusta innata sunt conj. Scalig. alio loco[1]; *obsitu* cod. Genev. prob. Roth.; *obstutas* msc. Merc.; *obstita* conj. Hadr. Jun.; *obscuritas* editt. Venet. 1483. Ald. Hadr. Jun. Metro, quod ante collatum codicem Genevensum altero versu claudicabat, ita auxiliatus est Vossius:

agiti' ite actutum in frundiferos lucos, ubi
ingenio arbusta nata sunt, non obsita.

Verba sanissima sunt, modo recte interpreteris. Duentzerus, Scaligeri emendatione seductus, ita explicat, ut verba chori sint, eos, qui cum Lycurgo rege ad venationem proficiscantur, adhortantis. At *vineta* eum docere poterant, de Baccho sermonem esse, ni desperare et mutare quam diligentius in rem inquirere et oblata servare maluisset. Equidem ipsum Bacchum loqui arbitror. Docet enim Lycurgi satellites, qui regis sui verbis et vites exstirpant et ex Edonum terra exulare ipsum jubent, non invita natura et arte, sed ab ipsa natura et sponte vites nasci. Quod ut ipsi perspiciant, in locos frondiferos eos ire jubet, in quibus non obsita, sed sponte nata sint vineta; itaque inutilem esse laborem ea delendi, quae ab ipsa rerum natura gignantur. *Arbusta vineta* bene sese habent, cum *vineta* aut appositionis aut adjectivi vice fungatur. Quod vero particula copulans desideratur, id Vossium ceteros ad totum versum emendandum movere non debebat: graviter enim et cum iracundia loquitur Bacchus.

19.

Nonius[2]: *vitulantes veteres gaudentes dixerunt*[3]. *Naevius Lycurgo:*

ut in venatu vitulantes éx suis
locis nos mittant, poénis decoratós feris.

ex aviis conj. Scalig.; *lucis* et *pennis* conj. Merc. prob. Voss.; *ex feris locis n. m. pennis d. suis* conj. Both. acclamante Duentz., qui tamen *feris* ejiciendum potius esse statuit; *Poenis* Delr. probant. Rostio[4]; *decoratus* mss. Gerlachii, ut videtur. Versus propter dubiam vocis *vitulantes* quantitatem ita constituit Rostius:

ut in venatu vitulantes ex suis locis
nos mittant Poenis decoratos feris . .

1) *l. l. pag.* 82. 2) *s. v. vitulantes pag.* 14 *M.* 8 *G.* 3) *cf. Rostii opuscul. Plaut.* I. *pag.* 176 *sqq.* 4) *l. l.*

Poenis decoratos feris de pellium feris Punicis detractarum ornatu intelligit Delrius, de leonibus, tigribus aliisque animalibus efferis, qualia Africa tellus magno numero producat. Obloquitur Vossius. *Pennas* avium intelligunt Bothius Duentzerusque, verba Lycurgi esse rati, a venatione redeuntis. Num ambigue loqui Naevius voluerit, ut Poeni, tum altero bello contra Romanos dimicantes, intelligi potuerint, affirmari nequit. Servata autem librorum scriptura ita interpretor, ut Bacchae apud Deum suum querantur, se, venando [1]) deditas a Lycurgo loco cedere jussas esse, quod ni facerent, acerrimis sese in Bacchas saeviturum esse poenis. Quod enim *decorari* poenis dicuntur, me quidem non offendit; Lycurgi enim atrocitas Bacchis, quae pantherarum et hinnuleorum pellibus indutae erant, irridens, se *feris poenis eas decoraturum* esse minatus erat. Itaque plane recta est Delrii interpretio, modo ambiguitatem in his verbis inesse addas.

20.

Nonius [2]): *schema neutro. Naevius Lycurgo:*

pergite thyrsigerae Bácchae
modo Bácchiacó cum schémate.

tyrsigere Brehcae codd. Gerl.; *thyrsigerae Bacchae* editt. Venet. 1526. Merc. Jun.; *Bacchico* libri; *Bacchiaco* conj. Th. Bergk. [3]); *schemâ* mavult Bothius [4]) contra disertum Nonii testimonium [5]) et metrum, quod paroemiacum vetat excipere paroemiacum. Sed perversum de metro est Bothii judicium. Nam versum (in unum enim ambos conjungit) cum metro Archilochio quarto [6]) componit, quale apud antiquos Romanorum poetas invenitur nullum. Quid? quod alio loco [7]) versum asynartetum dicit, compositum e trimetro dactyl. et dimetr. cret. Male etiam Vossius trochaicum dicit versum. Sed perversissimus Duentzerus, qui versus ita distributos:

---

1) *venationi enim operam Bacchas dedisse ex Euripidis Bacch.* 699 *sqq. concluditur.* 2) *s. v. schema pag.* 225 *M.* 153 *G.* 3) *in Mus. Rhen.* III. *pag.* 75. 4) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 270. 5) *cf. Osann Beiträge* II. *pag.* 302. 6) *fragm. trag. pag.* 88. 7) *in Mus. Rhen. l. l.*

pergite, thyrsigerae
Bacchae, modo Bacchico cum schemate.

alterum e serie dactylica catalectica, alterum e versu logaoedico, dactylo cum dimetro jambico catalectico et anacrusi, constare affirmat, Bergkiumque sine justa causa *Bacchiaco* conjecisse contendit. Male quidem et ipse Bergkius cum Bothio de metro versus consentit, vel potius metro mere dactylico usum esse Naevium arbitratus esse videtur, ita versum constituens:

pérgite, thýrsigeráe modo Bácchiacó cum schémate.

Sed jam virum doctum aliter sentire confido. Metrum anapaesticum est, et versus e medio systemate depromti; nam a clausula incipiunt; alter versus in fine mutilus est.

Admonet Bacchas perterritas suas Bacchus, ne arma circumspiciant ad defendendam a se Lycurgi vim, sed cum ipso Bacchiaco schemate, i. e. cum thyrsis, in Lycurgum irruant [1]).

21.

Nonius [2]): *ignotae i. e. insciae* [3]); idem [4]): *iteris positum pro itineris. Naevius Lycurgo:*

. . . *ignóti iteris sumus, túte scis.*

Ita Nonius priori loco, quam lectionem etiam apud Priscianum [5]) invenies; altero loco Nonius *ignotae.*

Verba sunt Satyrorum et Baccharum, quae se, utpote itineris inscias (nam e Lydia oriundae sunt), duce Baccho egere profitentur [6]).

22.

Nonius [7]): *pecua et pecuda, ita ut pecora veteres dixerunt* [8]). *Naevius Lycurgo:*

sine
ferró pecua manibus ut ad mortém meant!

---

1) *cf. Eurip. Bacch.* 733 *et* 763 *sqq.* 2) *s. v. ignotae pag.* 124 *M.* 85 *G.* 3) *cf. Corte ad Lucan. Phars.* V. 500. 4) *s. v. iteris pag.* 485 *M.* 330 *G.* 5) VI. *pag.* 245 *Krehl.* 6) *cf. Eurip. Bacch.* 613. 7) *s. v. pecua pag.* 159 *M.* 108 *G.* 8) *ita et ipse Cicero: Benecke ad Cic. de leg. Manil. pag.* 136; *Serv. ad Virg. Georg.* III. 64; *Wunder Var. Lect. pag.* LXXIII.

pecuda editt. ante Merc.; *pecua* Merc.; *pecora* Gerl.; *ut pecuda Maenades* conj. Both. vel *ut pecua manibus; manibus, pecua ut — meent* conj. Grauert. [1]; *manibus, pecua ut — meant* Bergk. [2]; *sine ferro, pecua ut, manibus eant* Duentz., *manibus* pro *ad Manes* accipiens verbaque *ad mortem*, tanquam glossema, ejiciens. Verba enim Lycurgi esse cum Grauerto dicit, Bacchas occidi jubentis. Aliter Th. Bergkius, narrare aliquem statuens, se vidisse, ut Bacchae manibus inermibus boves discerpserint [3]. Bothius denique priorem emendationem suam ita explicat, ut Tharops miseratus Baccho praedixerit, Maenades inermes a Lycurgo interfectum iri; posteriorem contra conjecturam ita tuetur, *ut inermes Bacchae ad mortem duci dicantur manibus Lycurgi et Thracum amicitiam simulantium* [4]. At noli cogitare de simulata Lycurgi erga Bacchas amicitia, quae cum *fero* ejus *ingenio* et *animi acri acrimonia* [5] neutiquam conjungi potest. Simplicissima est hujus versus explicatio. Sunt verba Lycurgi, gaudentis de inconsiderata Baccharum inermium in satellites suos armatos irruentium temeritate. Bacchae enim non armis, sed thyrso tantum ipso Deo jubente instructae sunt [6], qua de causa Lycurgus laetabundus exclamat: ut pecua, i. e. Bacchae [7], manibus sine ferro, i. e. inermis manibus, ad mortem meant! *Pecus* enim stolidum stultumque hominem dicunt [8], *pecua* Lycurgus Bacchas, stolidas ex suo judicio omnique ratione destitutas, quae inermes cum armatis confligere audeant. Sed fefellit eum spes, cum satellites, Panico terrore correpti, fuga salutem peterent [9].

23.

Festus [10]: *obstinato, obfirmato, perseveranti. Naevius in Lycurgo:*

. vós qui astatis óbstinati .' . .

---

1) *historisch. und philol. Analekten pag.* 201. 2) *in Mus. Rhen.* III. *pag.* 75. 3) *cf. Eurip. Bacch.* 736 *sqq.* 4) *cf. Diodor.* III. 65. 5) *cf. fragm.* 16. 6) *cf. fragm.* 20. 7) *cf. fragm.* 8. 8) *Cicer. Philipp.* VIII. 3. 9. 9) *Eurip. Bacch.* 734. 10) *pag.* 193 *Muell.*

Verba nec Bacchi sunt, quae Bothii est sententia, ad Edonos, cum venissent contra ipsum duce Lycurgo, nec Sileni, ut putat Duentzerus, a rege ad eos, qui adstabant, se convertentis, sed ipsius Lycurgi ad satellites suos, qui, terrore Panico in aggrediendis Bacchis correpti, denuo in eas irruere nolunt.

24.

Nonius [1]): *vapor et vapos, et timor et timos et labor et labos ita sunt, ut color et colos. Naevius Lycurgo:*

jam ibi nós duplicât advénientis timós, pavos,

ubi libri ante Merc. [2]); *jam vim in nos* conj. Grot. acclamantibus Scriv. et Voss.; *implicat* conj. Gifan. prob. Carrion.; *timos Panos* margo Hadr. Jun.; *timos vaposque* libri ante Merc.; *timos pavosque* conj. Guilielm. prob. Carrion.; *vapos* Both. Duentz.; *adveniens ignis vapos* conj. Grot. prob. Scriver. et Voss. Transponit verba Bothius ita:

jam ibi advenientis duplicat nos timos, vapos;

alio loco [3]):

tum ibi advenientes duplicabit nos pavos.

Loqui Lycurgum putant Grot. Scriv. et Voss., cum a Furiis incesseretur. Contra Sileno suo tribuit versum Duentz. cum Lycurgo colloquenti exponentique, quomodo Bacchae, a Lycurgi satellitibus fugatae, ad castra sua confugerint, ubi simul timor et vapor ex incendio ortus eas turbaverit. In explicandis verbis praeivit Hadrianus Junius, qui Panicum terrorem indicari censuerat. Bacchicis enim orgiis Panicum terrorem comitari notissimum est [4]). Quae cum ita sint, verba satellitum sunt, se Bacchas iterum aggressuros esse negantium et ad praecedentia Lycurgi verba respondentium, se jam antea, cum in Bacchas irruerint, Panico terrore correptos, quin fuga salutem peterent, facere non potuisse. *Ibi* enim tempus etiam indicat, quo aliquid factum est, ut particulae *tum* fere aequale

1) *s. v. vapor pag.* 487 *M.* 331 *G.* 2) *cf. de harum particularum frequentissima confusione Corte ad Lucan. Phars.* VI. 411. 3) *l. l. pag.* 370. 4) *Elmsley ad Eurip. Bacch.* 395.

sit[1]). *Duplicandi* autem verbum de doloribus etiam et perturbationibus, quibus vexatur aliquis, adhibetur[2]). De perfecto contracto, quod praesens tempus forma refert, supra exposui[3]).

25.

Nonius[4]): *cette significat dicite vel date ab eo, quod cedo. Naevius Lycurgo*:

proín Dryante régem prognatúm patre
Lycúrgum cette.

dustriantte codd. Gerl.; *Dryante* Merc. conj. Jun.; *patrem* cod. Guelf. et editt. primm. Jun. et Merc.

Duentzerus regem a venatione redeuntem a choro salutari putat. Bene Bothius: *verba Bacchi, ut videtur, Lycurgum poscentis ad supplicium*[5]). Relicto enim a satellitibus suis rege, genteque Edonum Dei gratiam, ut puto, imprecante, Bacchus obsidem quasi et pignus Lycurgum sibi pacisci videtur.

26.

Nonius[6]): *illiccre est proprie illaqueare. Naevius Lycurgo:*

alís sublime aliós saltus illícite, ubi
bipedés volucres líno linquant lúmina.

Novius ed. Ald.; *alii sublime* conj. Scal.; *sublimem* cod. Leid.; *sublimen* cod. Merc.; *Menalios saltus* dubitanter conj. Merc.; *sublimes saltus*, omiss. *alios* Both. et Duentz.; *illicited*[7]) Both.[8]); idem alio loco[9]): *alis inlicite saltus sublimes.*

In explicandis versibus toti a Vossio pendent Bothius et Duentzerus. Servii[10]) enim auctoritatem praetexentes *alas* pro *aleatoribus* dictas esse existimant,

1) *Duker ad Liv.* II. 35. 2; *conjunguntur etiam ibi tum: Stallbaum. ad Terent. Andr.* I. 1. 79. 2) *Bach ad Ovid. Met.* VI. 293; *Heyne et Wunderlich ad Virg. Aen.* XII. 926. 3) *fragm. Pun. bell.* IV. 2. *pag.* 67. 4) *s. v. cette pag.* 84 *M.* 60 *G.* 5) *Apollod.* III. 5. 1; *Diodor.* III. 65. 6) *s. v. illiccre pag.* 6 *M.* 4 *G.* 7) *cf. Ladewig in Zeitschr. für Alterth.* 1842. *pag.* 1066. 8) *fragm. trag. pag.* 86. 9) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 270. 10) *ad Virg. Aen.* IV. 121.

quae quam falsa sit explicatio, VV. DD. luculenter docuerunt [1]). Alia igitur via ingredienda et res altius repetenda est. Repraesentatur autem in vase fictili Lycurgus demens [2]), post occisum filium a Furiis vexatus [3]), in qua pictura Furiae alis praeditae sunt. Aeschylum vero Furias alis non ornavisse constat [4]), unde cave concludas, Naevium hoc etiam loco presse exemplum suum secutum esse. Quae cum ita sint, furibundum amentia Lycurgum in praesentes vel advolantes Furias invehere arbitror: nolite me laqueis vestris irretire i. e. *illicere* [5]), sed sublime alis vestris elatae, alios saltus (Lycurgus enim in monte Pangaeo ab Edonibus suis catenis affixus erat [6]), ubi, ut ipse, illaqueati volucres lino *lumina linquant* [7]). Mihi ipsi hanc explicationem non arridere confiteor. Possis haec etiam de Bacchis dicta putare, quas cum avibus Euripides [8]) comparat.

Phoenissae.

Naevii tragoediam fuisse Bothius existimat, male. Nam non Naevii est, sed Novii, cujus nomine ab ipso Festo [9]) insignita est [10]).

Protesilaus sive *Laodamia.*

Laevii est, ex Erotopaegniis, sicut Alcestis [11]), a Bothio [12]) tamen post ipsas Weicherti [13]) curas Naevio adscripta, a Lobeckio [14]) Livio Andronico tributa. Alii fabulam *Protesilaodamiam* dicunt [15]).

2. Fragmenta togatarum.

Medio has fabulas inter tragoedias et comoedias

---

1) *Heyne ad Virg. l. l.; V. D. in Forcellini lexico* I. *pag.* 123. *ed. Schneeb.* 2) *Hygin. fab.* 132. 3) *Zoega l. l. Tab.* I. 3. 4) *cf. Wieseler Conject. in Aesch. Eum.* CXXXVII. 5) *cf. Aesch. Eumen.* 296 *Well.* 6) *Apollodor.* III. 5. 1; *Welcker Nachtrag pag.* 118. 7) *ita etiam Plaut. Cistell.* III. 1. 12; *vitam lucem Cicero etiam dixit: cf. Benecke ad Catilin. pag.* 61. 8) *Bacch.* 748. 9) *pag.* 330 *Muell.* 10) *cf. Munk de fabulis Atellan. pag.* 179. 11) *cf. pag.* 91. 12) *fragm. trag. pag.* 91 *et in Mus. Rhen.* V. *pag.* 271. 13) *poet. Latin. reliq. pag.* 41 *et* 76 *sqq.* 14) *Paralip.* I. *pag.* 50. 15) *de nominis compositione cf. Grauert. in Mus. Rhen.* 1828. *pag.* 62.

posui loco, quod mediae inter utrasque ingenio suo esse videntur. Sed alia accedit causa, cur ab interprete secundo loco recenseantur. Nam in disponendis tragoediarum fragmentis fieri potest, ut, ducibus ipsis veterum de Diis et heroibus narrationibus, locus inveniatur, quo singulas reliquias ab ipsis poetis scriptas quondam esse verisimile est, praesertim cum, ut in Lycurgo fecimus, ad Graecarum fabularum superstitum, quae a Romanis poetis aut translatae aut in usum conversae erant, rationem et normam cum explicari tum disponi saepe possint. Quod minus in togatis contingit fabulis, quarum argumenta quidem nota esse solent, sed ignota ratio est, qua poeta rem suam tractaverit; ducibus enim Graecis hoc quidem loco omnino egemus. In comoediis autem nec fabulae argumentum notum est, cum res mere fictae tractentur, et, quamvis plurimae Romanorum fabulae e Graecis exemplis desumtae sint, ne has quidem nostra vidit aetas. Gravissimum illud est, quod, ut infra demonstrabimus, in comoediis suis totus fere a se ipso Naevius stat, ita dico, ut veterem Atticorum imitandam sibi proponeret comoediam, unde apparet, fieri neutiquam potuisse, ut Eupolidis, Cratini, Aristophanis fabulas Latino sermone exprimeret. Sed de hac re infra disputabitur, ubi id etiam agemus, ut Welckerum [1]) togatas fabulas Naevio injuria abjudicasse appareat. Collegit togatarum, quas Naevius scripsit, fabularum fragmenta

Neukirch (de fabula togata Romanorum. Accedunt fabularum togatarum reliquiae. Lipsiae 1833).

α. Togatarum praetextarum fragmenta.

Romulus.

Togata est praetextata [2]), quales fabulas, ut togatas tabernarias, primus composuit Naevius [3]). Comoediam Romulum fuisse mihi quidem verisimile non est [4]); ne Clastidium quidem mera comoedia fuit.

An totam Romuli vitam hac fabula Naevius tractaverit, incertum est; infantuli vero recens nati fata

---

1) *Die Griech. Tragoedien pag.* 1345 *not.* 2) *Neukirch. l. l. pag.* 22. 23 *sqq.* 3) *Neukirch l. l. pag.* 66. 4) *cf. Lange vindic. pag.* 14. *not.* 18.

in ea exposita fuisse, e loco, quo hujus fabulae meminit Donatus, colligitur. Reliqua fragmenta adeo incertum est, quo loco posita fuerint et qui iis sensus subjectus sit, ut certum locum nullum iis tribuere quam hariolari malim.

1.

Donatus [1]: *falsum est, quod dicitur, intervenisse lupum Naevianae fabulae, Alimoniae Remi et Romuli* [2]*, dum in theatro ageretur.*

Omiserunt hunc locum editores.

2.

Varro [3]: *carere a carendo, quod eam* (sc. lanam) *tum* (sc. cum carunt) *purgant ac deducunt, ut careat spurcitia; ex quo carminari dicitur tum lana, cum ex ea carunt quod in ea haeret neque est lana; quae* (sc. a lana carendo secreta) *in Romulo Naevius appellat Osca ab Oscis.*

Locum obscuriorem, quam qui probabilem emendationem admittat, dicit Muellerus. Varietatem lectionis apponam, ut expeditius lectoribus sit de hoc loco judicium. *Inde purgant* cod. Haun.; *cum purgant* cod. Par. b.; *careant spurticia* idem; *carent spurcitia* editt. princ. et Rom. 1474; *ex qua* cod. Vertran. editt. princ. et Rom. 1474; *ex quo* reliqui; *cum ex ea carent* codd. Flor. Haun. Goth.; *carunt* conj. Neuk.; *cum caret ea* editt. princ. Rom. 1474. Rholand. Venet. I. et II. Ald. Bas. Paris. Gryph.; *cum caret eo* cod. Vertran. edit. August.; *quod in ea eret* cod. Haun.; *quod in eo est* cod. Vertr.; *quod in ea est* edit. August. Vertran.; *exstaret, quod* cod. Par. b.; *quod in ea haeret* ceteri; *namque est lana* codd. Haun. Goth.; *nequam. Est lana* editt. August. Vertr.; *nequam est .. lana* Sciopp.; *nequa est lana* Turneb.; *neque est lana* reliqui; *quae Naevius in Romulo* cod. Haun.; *quam in Romulo Naevius* editt. Ald. Bas. Par. Gryph. August. Vertran. Sciopp.; *quae in Romulo Naevius* ceteri; *Asta ab Oscis* cod. Flor. et vetus quidam codex apud Sciopp.;

1) *ad Terent. Adelph.* IV. 1. 20. 2) *de duplici fabulae inscriptione cf. pag.* 93; *Bothe fragm. com. pag.* 12. 3) *de ling. Latin. pag.* 339 *Speng.*

asta a boscis cod. Goth.; *hasta* codd. Par. a et b.; *asca ab Oscis* cod. Haun.; *Oscam ab Oscis* editt. princ. Rom. 1474. Rholand. Venet. I. et II. Ald. Bas. Par. Gryph. Vertran. Sciopp.; *Oscam ab Osceis* edit. August.; *Osca ab Oscis* cod. Vertran. Verba *ex quo carminari dicitur tum lana* concinnitatem loci turbare et, utcunque interpungatur, supervacanea esse et glossam sapere putat Neukirchius, probante Muellero. Aliter Spengelius inter *quae* et *in Romulo* pauca excidisse nec, quae sequantur, integra exstare opinatur. Modo recte interpreteris, sana verba sunt, recepta Neukirchii conjectura *carunt*[1]) *Purgamenta et sordes lanae per contumeliam et injuriam summam Oscorum, qui obscoeni habebantur*[2]), *Osca Naevius appellavit, ut Varro interpretatur.* Verba sunt Turnebi[3]).

3.

Varro[4]): (Naevius) *in Romulo*:

sponsus
contra sponsum rogatus.

Desiderantur haec in cod. Par. b.; *consponsus, contra sponsus, rogatus* conj. Neukirch. propter alium locum Varronianum[5]), ubi *consponsi* apud Naevium inveniri affirmatur; *consponsus* conjecerat jam Popma[6]). Sed recte Muellerus duplicem, quamvis ex eadem fabula (de qua re dubito) locum Naevianum tangi statuit; Varro enim utroque loco vocabula Naeviana ita affert, ut apud ipsum poetam inveniebantur, ut *sponsus* et *consponsi* docere potuissent Neukirchium, diversos esse, e quibus sua desumsit Varro, locos. Sed omnino perversus est Bothius, qui vocabula *sponsus, consponsus* (ita enim et ipse scribere mavult), *rogatus* e Naevii Romulo desumta esse omnia affirmat, reprobante et errorem castigante Neukirchio.

Vocabulum ad Sabinarum feminarum raptum spectare videtur.

---

1) *cf. Menaechm.* V. 2. 46. 2) *cf. Festus pag.* 198 *et* 200 *Muell.* 3) *ad Varron. l. l. pag.* 209 *ed. Bip.* 4) *de ling. Lat. pag.* 386 *Speng.* 5) *l. l. pag.* 246 *Speng.* 6) *ad Varr. l. l. pag.* 249 *ed. Bip.*

β. Togatarum tabernariarum fragmenta.

Clastidium.

Nescio, an argumentum hujus fabulae fuerit Clastidium, vicus Gallicus, ab Hannibale proditione expugnatum [1]). Post pugnam enim ad Ticinum commissam cum exercitus Romanus ad Trebiam recederet, subsecutus est Hannibal, victoria quidem illa elatus, sed frumenti inopia laborans. Quae cum in dies major evaderet, Clastidium, ubi magnam frumenti copiam Romani congesserant, mittit, qui expugnando huic vico operam darent. Sed spe proditionis facta, solutis nummis quadringentis aureis, a Dasio Brundusino, praefecto praesidii corrupto, traditum Hannibali Clastidium est, quod Poenis ad Trebiam sedentibus horreum fuisse Livius tradidit. Ceterum apud Polybium [2]) *Κλαστάδιον* legebatur, alio tamen loco [3]) *Κλαστίδιον*. Hoc autem si fuit hujus fabulae argumentum, scripta est post annum DXXXVI u. c. et fabula est togata tabernaria [4]).

1.

Varro [5]): (Naevius) *in Clastidio:*

vitulantes [6])

a vitula [7]).

Cassidio cod. Paris. b.

2.

Varro [8]): *ut signa, quae non habent caput aut aliam aliquam partem, nihilominus in reliquis membris eorum* [9]) *esse possunt analogiae: sic in vocabulis casuum* (suppl. analogiae) *possunt item fieri ac reponi quod aberit, ubi patietur natura et consuetudo, quod nonnunquam apud poetas invenimus factum, ut in hoc apud Naevium in Clastidio:*

vita insepulta laetus in patriam redux.

et aut aliquam cod. Flor.; *et ut alia aliquam* cod. Haun.; *et aut aliam aliquam* codd. Goth. et Paris. a.;

---

1) *cf. Liv.* XXI. 48. 8 sqq. 2) III. 69. 3) II. 34. 4) *cf. Neukirch. l. l. pag.* 38. 5) *de ling. Lat. pag.* 385 *Speng.* 6) *cf. fragm. Lycurg.* 19. 7) *cf. Rost. opusc. Plaut. I. pag.* 176 *sqq.* 8) *de ling. Lat. pag.* 513 *et* 514 *Speng.* 9) *cf. Mueller. ad h. l.*

aut aliquam aliam Speng.; *aut aliam quam* Muell.; *ita item* cod. Haun.; *abierit* idem; *laetus* codd. Flor. Haun. Goth. editt. August. Vertr. Sciopp.; *leuis* (ita, nisi error typographicus apud Spengelium) cod. Paris. a.; *lectus* reliqui; *redux* codd. Flor. Haun. Goth. Paris. a et b, editt. princ. Rom. 1474. Rhol.; *reduxi* editt. Venet I. et II.; *reduxit* editt. Ald. Bas. Paris.; *reduxt* Gryph.; *redux it* editt. August. Vertr. Sciopp.

Falsus est Neukirchius [1]), Naevii versum a Varrone propter *insepulta* allegatum esse ratus, in quo vocabulo reponatur *in* praepositio. Nam de nominibus agit Varro, quae recto casu aut obliquis casibus careant vel carere videantur, quibus *insepulta* adnumerari nequit. Bene Muellerus rectum vocabuli *redux* casum Varronis aetate inusitatum fuisse ex hoc loco concludit.

Fortasse ad P. Cornelium Scipionem, Africani patrem, versus pertinet, quem ad Ticinum vulnere affectum filius pubescens servavit [2]) ut *insepulta vita* i. e. salva et non deleta vita [3]), in patriam redire posset [4]).

---

3. Fragmenta Comoediarum.

Acontizomenos.

Inscriptio Graeca est unde Naevium fabulae hujus argumentum e Graeco desumsisse concludo, ita tamen, ut Plauti more denuo potius res suas excogitaret et disponeret, quam verbotenus, Terentii instar, Graeca redderet [5]). Scripsit autem teste Athenaeo [6]) Dionysius Sinopensis *'Ακοντιζόμενον* [7]), Antiphanes *'Ακοντιζομένην* [8]).

---

1) *l. l. pag.* 96. 2) *Liv.* XXI. 46. 7. *et* 54. 9. 3) *ita dolorem sepelire: cf. Bentley et Moser ad Cicer. Tuscul.* II. 13. 32; *patriam: Propert.* I. 22. 3. *Cicer. Catilin.* IV. 6. 11; *bellum: Ruhnken. ad Vellej.* II. 82., *Benecke ad Cicer. pro leg. Man. pag.* 205; *salutem: Lucret.* II. 570; *virtutem: Mitscherlich ad Horat. Od.* IV. 9. 29; *vires: Senec. Herc. Oet.* 1246. 4) *Liv.* XXI. 56. 9. 5) *cf. fragm.* 3. 6) XIV. *pag.* 664 *Cas.* 7) *Meineke comic. Graec. fragm.* I. *pag.* 419. 8) *Athen.* X. *pag.* 441 *Cas.; Meineke l. l.* I. *pag.* 337.

1.

Charisius [1]): *prime*. *Naevius ἐν Ἀκοντιζομένῳ*:

Acóntizomena fábula est primé proba.

Locus ex prologo est, et, ni fallor, sententiam comprobat, ad Graecam cognominem Dionysii fabulam Naevium suam composuisse. Laudant enim in prologis earum fabularum praestantiam, quas imitantur.

2.

Charisius [2]): *falso*. *Naevius in Acontizomeno*:

hujus aútem gnatus dícitur geminum álterum
falso óccidisse.

Falso nescio an pro *inscie* dictum sit; *falsum* enim eum dicunt, qui fallitur, imprimis comici [3]).

3.

Charisius [4]): *noctu diuque*. *Naevius in Acontizomeno*:

Súlpitii noctu interfecit.'....'..

Genitivus *Sulpitii* eliptice est positus [5]), ita tamen, ut nescias, num uxor an filius, an mater, an servus, an libertus Sulpitii intelligendus sit. Sulpitius autem P. Sulpicius Galba Maximus esse videtur, quem anno DXXXXIII. u. c. Consulem fuisse Livius [6]) testis est [7]); aequalis etiam Naevio Servius Sulpicius Galba, aedilis curulis anno DXXXXVI [8]).

Ceterum ex hoc loco apparet, non verbum de verbo reddidisse e Graeco exemplari, sed ad Romanos mores rem suam applicasse Naevium.

Agido.

Ne ipsum quidem hujus fabulae nomen certum est. Apud Varronem [9]) enim, ubi unicum, quod ex ea ser-

---

1) *pag.* 188 *ed. Putsch.* 125. *ed. Lindem.* 2) *pag.* 179 *P.* 118. *L.* 3) *Boetticher lex. Tacit. pag.* 192; *Walther ad Tacit. Annal.* I. 1. 4) *pag.* 185 *P* 123. *L.* 5) *Heyne ad Virg. Aen.* III. 319; *Drakenborch ad Liv.* XXVIII. 12; *Westerhov ad Terent.* II. 2. 20; *Perlet ad titul. Heaut.*; *Osann Beiträge* II. *pag.* 153 *not.* 6) XXV. 41. 11. 7) *cf. Ruperti tabulae genealogicae nobilissimarum gentium Romanarum pag.* 219. 8) *cf. Ruperti l. l.* 9) *de ling. Lat. pag.* 386 *Speng.*

vatum est, fragmentum invenitur, codices ita varii sunt, ut fabulae nomen certo erui nequeat. Ita autem exhibent: *in N. Agidone* cod. Flor.; *in Nagidione* cod. Goth.; *in Agidone* cod. Par. a. cod. Vertr. editt. princ. Rom. 1474, August. Vertr. Sciopp.; *in Agidione* cod. Haun.; *in Agedone* editt. Rhol. Venet. I. et II. Ald. Bas. Par. Gryph.; nomen plane deest in cod. Par. b. *Agidonem* fabulae nomen fuisse mecum putat Speng.; *Nagidonem* Muell.; *Agidonem* in dubium vocat Scaliger [1]), *Agonem* aut *Aedonem* aut *Aegaeonem* corrigens; Bothius *Agasonem* eam dici mavult, quam aliam Agitatoriae fabulae inscriptionem fuisse conjicit. Mihi quidem *Agido* libris mss. comprobari videtur, ut *Nagidonis* nomen ex adhaerente sequenti vocabulo praecedentis praepositionis litera extrema ortum sit. Quae enim Muellerus de dispositione et ordine, quo Varro Naevii fabulas hoc loco citaverit, exponit [2]), ab ipso Varrone refelluntur, qui primo loco Hesionam sive Esionam, secundo Clastidium posuit.

1.

Varro [3]): *Naevius in Agidone:*

caudacus
suavis, tametsi a magistris accepimus mansuetum.

caudacus codd. Flor. Goth. Haun. Paris. a. editt. princ. Rom. 1474. Rhol. Ald. Bas. Par. Gryph.; *candacus* cod. Vertr. editt. August. Vertr. Sciopp.; *cavadacus* editt. Venet I. et II.; desideratur vox, ut universus hic locus, in cod. Paris. b.; *clucidatus* vel *glucidatus* emend. Scaliger [4]) probantibus Muellero et Bothio, Paulum Diaconum [5]) in auxilium vocans: *glucidatum, suave et jucundum. Graeci etenim γλυκὺν dulcem dicunt.* Equidem servare malui ea, de quibus dubito an certum aliquid unquam possit excogitari.

Agitatoria.

1.

Charisius [6]): *dedita opera declinari quidem potest ut nomen, vim tamen adverbii retinet. Naevius in Agitatoria:*

---

1) *ad Varron. l. l. pag.* 249 *Bip.* 2) *l. l. pag.* 163 *et* 303. 3) *l. l.* 4) *l. l.* 5) *pag.* 98 *Muell.* 6) *pag.* 177 *P.* 116 *L.*

quasi dédita opera, quáe ego volo-ea tú non vis quae ego nólo eá cupis.

non vis cod. et editt. princ. Lind.; *nevis* conj. Fabr. probb. Putsch. Both., apud quos versus ita constituntur:

quasi dedita opera, quae ego volo, ea tu nevis,
quae ego nolo, ea cupis,

qui versus nulli sunt.

2.

Charisius [1]: *nimio pro nimis. Naevius in Agitatoria:*

nímio arte cólligo: cur re inquaesita cólligor?

Bothius hanc librorum lectionem a sententia abhorrere ratus ita emendat, prob. Lindem.:

nimio arte colligor. Cur re inquaesita colligor?

Sed ipse sententiam non perspexit. Verborum enim lusu poeta utitur, cum prius verbum pro *exputo, meditor*, posterius pro *constringor* positum, illud a colligendi, hoc a colligandi verbo derivandum sit. *Arte* est *magnopere, vehementer* [2], non *arcte*, ut putasse videntur Bothius et Lindemannus.

3.

Charisius [3]: *pluris. Naevius in Agitatoria:*

*ego sémper pluris féci potiorémque habuì
líbertatem múlto quam pecúniam. . . . .*

Versuum numeri diversi, cum alter jambicus, alter trochaicus sit. Quod cum non agnosceret Bothius, versus senarios ita restituit:

. semper pluris feci potioremque ego
libertatem habui multo quam pecuniam;

haud male, inutiliter tamen.

4.

Charisius [4]: *secus pro aliter. Naevius in Agitatoria:*

secus si únquam quidquam féci, carnificém cedo.

---

1) *pag.* 186 *P.* 123 *L.* 2) *cf. Plaut. mil. glor.* II. 1. 22.
3) *pag.* 188 *P.* 125 *L.* 4) *pag.* 195 *P.* 131 *L.*

5.

Charisius[1]: *atque pro et. Terentius in Adelphis . . ., ubi Aeron argute, inquit; nam per hanc conjunctionem transitum fecit ad narrationem. Cn. Naevius in Agitatoria, sed et in Tarentilla.*

At recte jam in loco Terentiano[2]) legitur *atqui*.

6.

Charisius[3]): *tax, pax. Naevius in Agitatoria:*

α.
age, ne tibi me ádversari dícas, hunc unúm diem
β. α.
dé meo, sequór, sinam ego íllos ésse. Tax, pax. Póstea
cúrrentes ego íllos vendam, ni tu víceris . .

ne tibi me cod. Lind.; *ne te mihi* Fabr. Putsch.; *ne tibi mihi* ed. princ.; *nisi* cod. et editt. omnes; *ni* conj. metri gratia. Pro *sequor* in codice *equos* legi affirmat Bondamus[4]), cujus lectionis ope adjutus reprobata Gulielmi[5]) emendatione plane diversam de his versibus sententiam profitetur. Disserit autem Gulielmus de hoc loco ita: „*scribendum*

age, ne me tibi adversari dicas, hunc unum diem
de meo sequor sinam, ego illos esse tax pax; postea
currenteis ego illos vendam, nisi tu pretio viceris.

Verba venalitiarii sunt ad emtorem, qui prodi diem sibi volebat. Sequor, inquit, et sinam illos hodie comedere de meo, postea inter venales vapulabunt et currentes venibunt, nisi tamen tu pretio illos exemeris. Aliter Bondamus:

α.
age, ne tibi me adversari dicas, hunc unum diem
β. α.
de meo equos sinam ego illos esse. Tax, pax. Postea
currenteis ego illos vendam, nisi tu viceris.

Postquam unus dixit, se permissurum, ut unum diem equi, de quibus certabant, de suo ederent et alerentur, alter gratulantis in morem consensum suum interjicit, sibique dicta illa placere significat per illud tax pax. Interjectionem autem istam proprie gratulantis esse, do-

1) *pag.* 204 *P.* 137 *L.* 2) *Adelph.* I. 1. 15. 3) *pag.* 213 *P.* 148 *L.* 4) *Var. Lect. pag.* 238. 5) *Plautin. Quaest. in Asinar. cap.* 5. *pag.* 87.

cent nos excerpta mss. ex Cominiano . .: *tax pax gratulantis.* Bothius:

age, ne me tibi adversari dicas, hunc unum diem
de meo servos sinam ego illos esse, tax pax; postea
ego currentes illos vendam, nisi tu pretio viceris.

Sed de victoria equestri in ludis Circensibus sermonem esse, e sequente fragmento apparet. Quid vero servis cum equestri victoria commune? De equis locum cum Bondamo intelligo, ita ut Romanus homo cum alio, nescio quo, de equis altercatus fingatur, qui cum frustra ab altero rogatus esset, ut ad ludos Circenses suos sibi utendos permitteret equos, ita tamen, ut eo ipso die equos aleret, tum alter alendi curam susciperet, morem demum gerens respondet: *age, ne me tibi adversari* (i. e. morem non gerere) *dicas, sequor* (i. e. assentior, obtempero); *hunc diem ego sinam illos* equos *de meo* (i. e. ex mea re [1])) *esse.* His promissis, alter manum porrigit, ut fidem alterius verbis conciliet et se ipsum in alterius verbis jam acquiescere significet; haec insunt in verbis *tax pax! Postea,* pergit alter, equos suos summa cum fiducia laudans, *nisi tu viceris, currentes (*i. e. cursu superatos in ipsis ludis etiam currentes, nondum domum reversos) *ego illos vendam,*

7

Charisius [2]): *eho. Naevius in eodem*:

β.
eho, an vícimus?
γ. β. γ.
vicístis. volupe.' quómodo? dicám tibi.

volupe est conj. Both.

Bene perspexit Bothius, sermonem mutuum esse; quamquam in eo, ut assolet, lapsus est, quod sanissima emendandi impetum refrenare noluit. Nuntiatur his verbis victoria in ludis reportata.

Glucidatus vel *caudácus* Agitatoriae fragmentis a Bothio falso adscribitur. Est enim ex Agidone [3]).

---

1) *cf. Westerhov. ad Terent. Adelph.* I. 2. 37; *Perlet animadv. in Terent. pag.* 110; *Drakenborch ad Liv.* IV. 60. 4; *Sueton. Caes.* 19, *Aug.* 45. 2) *pag.* 213 *P.* 142 *L.* 3) *cf. pag.* 134 .

Agrypnuntes.

1.

Nonius [1]): *promicare, extendere et porro jacere, unde emicare. Naevius Agrypnuntibus:*

siquidem vis loqui,
non pérdocere múlta, longe prómicanda orátio est?

ΓΡΥΠΝΟΥΝΤΙΒΟΥC codd. Guelf. et Leid.; deest in Ald. et Jun., cujus tamen in margine legitur *agrypnuntibus*; *loqui vis* libri; *vis loqui* conj. Both. [2]); *multa, haut longe* idem [3]); quippe non intellexerat, interrogando haec pronuntianda esse.

Nescio, an garrulum pinxerit poeta, qui garrulitate sua audientes somno privaret.

2.

Nonius [4]): *praemiatores, nocturni praedones. Naevius Agrypnuntibus:*

nam in scéna vos noctúrnos coepit praémiatores tóllere.

Novius conj. Scal. prob. Merc.; *Amnagremnuntius* libri, *Agrypnuntibus* conj. Jun. Scal. Merc.

In scena hoc quoque loco dictum videtur pro *in publico* [5]). *Praemiatores* pro praedatoribus eodem modo dicuntur, quo *praemia* significant praedam [6]).

Apella.

1.

Priscianus [7]): *excipitur unum indeclinabile in singulari numero, hoc cepe, hujus cepe. Quod in plurali numero femininum est primae declinationis, hae cepae, harum ceparum, quamvis antiquissimi in a quoque singulare feminino genere hoc recte protulisse inveniuntur. Naevius in Apella:*

ut illum Di feránt, qui primum olitor cepam prótulit.

Ferant idem fere est atque *auferant, rapiant, ex-*

---

1) s. v. *promicare pag.* 65 *M.* 46 *G.* 2) *fragm. comic. pag.* 12. 3) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 269. 4) *s. v. praemiatores pag.* 150 *M.* 103 *G.* 5) *Heindorf ad Horat. Satir.* II. 1. 71. 6) *cf. Dissen. ad Tibull.* I. 2. 27. *pag.* 38. 7) *Priscian. pag.* 225 *Krehl.*

stinguant [1]. Similis est exsecratio allii apud Horatium [2].

2.

Priscianus [3]: *frequentior tamen usus hoc cepe protulit. Naevius in Apella:*

cui cépe edundo *óculus alter próflüit.*

Both, *edundod.*

Aulularia.

Ita Naevii fabulam quandam inscriptam fuisse complures autumant; quamquam *Erularia* in optimis quibusque Nonii codicibus invenitur [4]. Sed vide Erulariae fragmentum.

Assitogiola.

Ita fabulam omnes Nonii codices inscribunt, nescio an recte. Nam ut multarum Naevii fabularum inscriptiones, sic hujus etiam inscriptio ita comparata est, ut, quid sibi velit, omnino te fugiat. Neque defuere, qui fabulae nomen mutarent.

1.

Nonius [5]: *prospica et despica, intenta, contemta. Naevius Assitogiola:*

. . . . . ác sibi prospica ac déspica.

Potest ergo prospicus et despicus dici.

Versus aut ultima senarii, cui pentemimeres jambica deest, pars, aut trimeter creticus est:

ác sibi próspica ac déspica.

Naevius Agitatoria conj. Jun. prob. Steph.; *contempla* Gerl., nescio an errore typothetico pro *contempta*. Bothius, cum Dacierio [6] corrupta verba esse affirmans, ita emendat:

hac tibi prospica, hac despica;

praeierat ipse Dacierius:

tibi prospica ac dispica

---

1) *Corte ad Lucan. Phars.* VII. 591; *Heyne ad Virg. Buc.* V. 34. 2) *Epod.* III. 3. 3) *pag.* 225 *Krehl.* 4) *cf. Osann anal. crit. pag.* 157. 5) *s. vv. prospica et despica pag.* 155 *M.* 106 *G.* 6) *ad Festum pag.* 181.

i e. prospice, dispice. Vocem *despicua* Terentio obtrudit Bothius [1]), ad Naevium inopportune provocans.

Carbonaria.

Priscianus [2]): *in do unum anomalum invenitur, edo, es, est. Vetustissimi tamen edo, edis, edit correpta prima syllaba. Naevius Carbonaria:*

tibi sérvi multi apúd mensam astant, ille ipse astat,
quándo edit.

Sermo est de servo, quem in deliciis habet dominus quemque ad mensam suam esse sinit.

Colax.

Fabulam modo Naevio modo Novio tribuunt libri manuscripti. Sed et Graeca inscriptio Naevium, non Novium prodit [3]), et Colacem fabulam Naevium composuisse e Terentio [4]) cognitum habemus:

Colacem esse Naevii et Plauti veterem fabulam,

quem tamen versum Bentleius ita mutatum vult:

Colacem esse nempe Plauti veterem fabulam,

haec addens: *Colax Plauti a Nonio Marcello citatur, Naevii Colax nusquam memoratur; nam quae superiore saeculo apud Nonium et Priscianum ferebantur tanquam ex Naevii Colace, ea jam ex vetustioribus codicibus Novii tribuuntur.* Acer tamen contra Bentleium Naevii vindex exstitit Hermannus [5]), qui infelicem Bentleii conjecturam ita refulit: *de Colace Naevii quod ait Bentleius, superbius simul et incuriosius pronunciatum est. Operae pretium erat certe, nominatim indicare vetustos illos Nonii Priscianique codices, quorum auctoritate Novio ea fabula adscribenda est. Nam Nonii editiones antiquae Naevium nominant, cui nomen Novii Josephus Mercerus substituendum ex conjectura censuit. Quae omnia nos eo videntur adducere, ut non Novii, sed Naevii fabulam Colacem fuisse statuamus; accedit, quod fragmenta hujus fabulae, ut a Novii stilo non abhorreant, tamen ne quod a Naevii quidem alienum putari debeat, continent.* Consentiunt cum Hermanno Osan-

1) *in Poet. scen. Rom. Eunuch.* II. 3. 92. 2) *pag.* 494 *Krehl.* 3) *cf. Osann l. l.* 4) *Eunuch. prol.* 25. 5) *opuscul.* II. *pag.* 277.

nus[1]) et Muellerus[2]). Aliter Bothius[3]), qui Naevii Colacem a Novii fabula cognomine diversam esse statuit, ita tamen, ut quaecunque e Colace servata sunt fragmenta, Novio tribuat, Naevium in eo acquiescere jubens, quod a Terentio citatur. Mirum autem omnino est, quod Munkius, quamvis alio loco[4]) cum Hermanno Colacem Naevio vindicet, nihilominus alio[5]) omnes, quae supersunt, reliquias Novio attribuit. Sed post novissimam Prisciani et Nonii codicum collationem, extra dubium positum est, Naevii esse Colacem; nam et Prisciani[6]), quos quidem contulit Krehlius, codices omnes[7]), et codices Noniani Guelf. Leid. Genev. et Bern. Nevium (ita enim post saeculum decimum alterum exarare solebant) exhibent, non Novium; quamquam editiones priscae complures, Mercerii conjecturam secutae, Nonium substituerunt, etsi in his multae, teste Hermanno, sunt, quae et ipsae Naevium exararunt.

Incertum est, utrum Plautus[8]) ad suam an ad Naevii Colacem respexerit[9]):

sed facito dum memineris versus, quos cantat Colax: cibo cum suo quique facito uti veniant, quasi eant Sutrium[10]).

Κόλακα scripserunt et Eupolis[11]) et Menander[12]); quamquam nullum superest alterius fragmentum, quod ex altero Naevium suam expressisse fabulam demonstrare possit.

1.

Priscianus[13]): *polluceo, polluxi. Naevius in Colace:*

α.
qui décumas partes, quántum - alieni fuit,
pollúxit tibi a públicando epulo Hérculis.

β.
Decumás?

Naevius codd. omnes; *quid* unus codex. Bothius hunc versum offert:

qui decumas partes, quantum alieni fuvit, polluxit tibi,

cetera, ut glossam, ejicienda opinatus. Dissentit ab eo

1) *l. l.* 2) *ad Fest. pag.* 408. 3) *fragm. com. pag.* 13 *et* 42; *in Museo Rhen.* V. *pag.* 288. 4) *de fab. Atell. pag.* 121. 5) *l. l. pag.* 166. 6) *cf. fragm.* 1. 7) *cf. fragm.* 3. 8) *Casin.* III. 1. 9. 9) *cf. Mueller l. l.* 10) *cf. Zell Ferienschriften* II. *pag.* 51. 11) *cf. Meineke comic. Graec. fragm.* I. *pag.* 130. 12) *cf. Meineke l. l.* IV. *pag.* 151. 13) *pag.* 470 *Krehl.*

Hermannus [1]), qui, probante Munkio [2]), ita hos versus emendat:

> **quid decumas partes? quantum mi alieni fuit,**
> **polluxi tibi iam publicando epulo Herculis decumas,**

verba esse ratus exprobrantis beneficia in parasitum collata. Atque re vera parasitum et militem gloriosum e Naevii et Plauti Colacibus in suam se transtulisse Eunuchum Terentius fatetur, ut, utra persona in Naevii Colace egerit, ambigatur. In verbis autem, qualia apud Priscianum leguntur, nihil est, quod parasitum indicet, verum militem gloriosum produnt. Ut enim in Milite glorioso Plautino Artotrogus Pyrgopolynicem suum summis laudibus effert, immo Diis eum aequiparat [3]), utque Stratophanes in Truculento [4]) et ipse fortitudinem resque a se gestas praedicat et ab Astaphio ancilla propter validum ejus animum praedicatur, immo se cum Theseo vel Hercule componit [5]): ita hoc loco nescio quis adulator militem gloriosum tanquam alterum Herculem praedicat, cui decumas Herculaneas immolaverint. Verba autem ipsa ita intelligo: pollicitus erat, nescio quis, se decumam partem vel partem Herculaneam [6]) militi isti glorioso, utpote ipsum heroem fortitudine aequanti, post oblata Herculi sacra, (nam *a publicando epulo* est *post publ. ep.* [7])) ex iis quae supersint (i. e. *quantum alieni fuit* sc. quam Herculis) oblaturum esse. *Pollucere enim proprie dicuntur, qui partem victimae populo promittunt, ut vescatur, postquam pars Diis data et porrecta est* [8]). Noli vero cum Bothio offendere in vocis *decumas* repetitione. Quaerit enim miles ex adulatore, num decumas tantum sibi voverint, vel Herculi tantum aequiparaverint, qui Herculem tamen multo superet [9]).

---

1) *l. l.* 2) *l. l. pag.* 167. 3) I. 1. 11. 4) II. 2. 1 *sqq.* 5) II. 2. 59: *legendum enim duas Ponto Amazonas cum Goellero.* 6) *Taubmann ad Plaut. Stich.* I. 3. 80 *et Bacch.* IV. 4. 15. *Goeller ad Truculent.* 549. *pag.* 117. 7) *cf. Hand Tursell.* I. *pag.* 45 *sqq.; Boetticher lex. Tac. pag.* 3. 8) *Laurenb. antiq. pag.* 344. 9) *cf. Plaut. mil. glor.* I. 1. 27.

2.

Nonius [1]: *prolubium est patere amicitiam et fidem. Naevius Colace:*

ét volo
et véreor et facere in prolubiò est.'..

proluvium codd. Guelf. Leid. edit. Ald.; *profluvium* margo cod. Guelf.; *prolubium* Merc. Both. Munk. Mercerius, cui deesse complura vocabula videntur, *prolubium dictum a lubendo, inde prolubium est petere a. e. f.* conjecit, verba *prolubium est — fidem* e vetere quodam scriptore allata esse arbitratus; *prolubium est lubido: ... prolubium est petere a. e. f.* conj. Lips.; *Naevius* margo Jun.; *Novius* editiones; *Laverius* codd. Guelf. Leid., quod nomen librariorum oscitantia pro Naevio substituit, sequitur enim fragmentum e Laberii Compitalibus; *prolubio mi est* conj. Both. [2]); versum enim

et volo et vereor et facere in prolubiō mi est

pro cretico tetrametro habet.

Proluvium a *prolüo* sunt qui malint, explicantes effusam largitatem. Atque re vera haec quidem lectio librorum manuscriptorum auctoritate se tueretur, nisi his certe in rebus Nonii codicibus nulla plane fides tribuenda esset [3]). *Prolubium* legitur apud Terentium [4]), quo loco et ipse Donatus hanc scripturam tuetur: *prolubium, quod Graeci προθυμίαν, id est promtus animus ad largiendum*, probantibus Bentleio, Ruhnkenio, Westerhovio cet.; nihilominus in ipso hoc loco Terentiano, ubi a Nonio s. v. proluvies [5]) citatur, *proluvium* legitur.

3.

Nonius [6]): *quoniam nonnulli veterum pro eo, quod* p r o t i n u s *est,* p r o t i n a m *vel* p r o t e n i s *converterunt, exempla de his necessaria decerpenda sunt. Naevius in Colace:*

.' ubi vidi exánimabiliter timidus pedibus prótinam
mé dedi.

id est, pedibus longius fugi.

---

1) *s. v. prolubium pag.* 64 *M.* 45 *G.* 2) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 288. 3) *cf. ad fragm. bell. Punic.* V. 2. 4) *Adelph.* V. 9. 27; *p r o l u b i u m tuetur etiam Gellius* XVI. 19. 5) *pag.* 373 *M.* 254 *G.* 6) *s. v. protinus pag.* 376 *M.* 256 *G.*

Nevius codd. Guelf. Leid. Genev. Bern.; *Novius* editt. inde a Merc.; *timedus* codd. Guelf. Leid., ut videtur; *tamedus* codd. Genev. Bern.

In pedes se conjicere, dare, conferre usitatae comicis locutiones sunt ut nostrum: *sich auf die Beine machen*[1]). Ceterum locus invenitur apud Terentium[2]) Naeviano simillimus, unde nescio an concludi possit, Terentium non militis tantum personam, sed plura etiam e Naevii Colace in usum suum convertisse:

. . ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo
in angiportum quoddam desertum

sc. dedi.

4.

Nonius[3]): *multare cum sit condemnare, positum est augere, voti compotem reddere. Naevius Colace:*

et ásseri
laudés ago, cum vótis me multát meis,
quod praéter quam vellem, audiébam hoc mihi éminus.

Exhibui versus ex emendatione Hermanni, Munkio etiam probata.

Novius Merc.; *Colare* codd.; *Colace* Ald. Jun. Merc.; *et adseri* cod. Leid. ed. princ.; *multatis meis* codd.; *praeter spem quem* Ald. Jun.; *hennius* cod. Leid.; *ennius* codd. reliqq. et editt. praeter princ., quae *En.*, Venet. 1480, quae *emunus*, Venet. 1496, quae *eminus* offerunt; margo Jun. *cantus*. Mercerius versus ita rescribendos putat:

grates et laudes ago, quum votis me multatis meis,
quod, praeterquam velle audebam, hoc mihi evenit.

Bothius:

est affatim. Laudes ago, quum votis me multatis
meis, quod hoc mihi evenit, praeterquam velle audebam.

Bene Munkius, Hermannum secutus, ita explicat: *loquitur aliquis, qui cum per asserem parieti sarciendo insertum e longinquo plus etiam, quam voluerat, audivisset, laudat asserem, per quem compos voti factus sit.* Simile artificium apud Plautum[4]).

---

1) *cf. Westerhov ad Terent. Phorm.* I. 4. 13; *Plaut. Capt.* I. 2. 12. 2) *Eunuch.* V. 2. 5. 3) *s. v. multare pag.* 462 *M.* 313 *et* 314 *G.* 4) *mil. glor.* II. 1. 60 sqq.

Cementria.

Varro [1]):

carere [2]);

idem est hoc verbum in Cementria Naevii.

Cementria cod. Flor. et Sciopp.; *Cemetria* codd. Haun. Goth.; *Cementhria* cod. Vertran.; *cametria* cod. Paris. a.; *comedia* Paris b.; *Ementhria* editt. princ. Rom. 1474. Rhol.; *Ementria* editt. Venet. I. et II., *Cosmotria* editt. Ald. Bas. Par. Gryph. August. Vertr.; *Aemathia* August. ex libro et margo Vertr.; *Commotria* Turneb.; *Cosmetria* conj. Both. prob. Muell.

Cementria hujus fabulae nomen fuit, quo variae librorum lectiones tendunt, non *Cosmetria*, quae Bothii est sententia, ipsi Muellero probata. *Cosmetriae*, inquit, *κόσμητρίας, idem officium fuit inter servas, quod inter servulos cosmetae.* Novi Cosmetas servos, sed Cosmetrias servas non novi; neque Bothius ad Boettigerum [3]) provocare debebat, qui cum Frankio [4]) falsa omnino profert, satis refutatus a Beckero [5]) et Heinrichio [6]). Quid Cementriae sibi velit nomen, nescio; sed neque Agidonis neque Assitogiolae, neque Pacevi, neque Tribaseli nomina commode interpretari poteris. Quae cum ita sint, in *Cementria* acquiesco.

Corollaria.

1.

Varro [7]): (Plautus) *in Mercatore* [8]):

non tibi istuc magis dividiae 'st [9])*, quam mihi hodie fuit.*
Hoc itidem et in Corollaria Naevius. Dividia ab dividendo dicta, quod divisio distractio est doloris.

Dividia est codd. et editt. omnes praeter Vertr. et Sciopp., qui *dividiae 'est* ex emend. August. receperunt; *dividua est* cod. Par. b.; *hoc eadem est* codd. Flor. Haun. Goth.; *est* omitt. cod. Par. b.; *haec eadem est* cod.

---

1) *de ling. Lat. pag.* 339 *Speng.* 2) *cf. fragm. Romul.* 2. 3) *Sabina* I. *pag.* 22. 4) *Geschichte Trajan's pag.* 356. 5) *Gallus* I. *pag.* 125. 6) *ad Juvenal. Sat. Tom.* I. *pag.* 386. 7) *de ling. Lat. pag.* 342 *et* 343 *Speng.* 8) III. 4. 34, *ubi nec legitur.* 9) *cf. Taubmann ad Plaut. Stich.* II. 1. 40; *Trucul.* IV. 4. 8; *Mueller ad Paul. Diac. pag.* 70.

Vertr. editt. princ. Rom. 1474. Rholand. Venet. I. et II. Ald. Bas.; *haec eadem* editt. Par. Gryph. August. Vertr. Sciopp.; *Corollaria* codd. Flor. Haun. Goth. Vertr. editt. August. Vertr. Sciopp.; *hoc eadem in collaria est* cod. Par. b.; *Corolaria* reliqq.; *Naevii* editt. princ. Rom. 1474. August. Vertr. Sciopp.; *Naevius* codd. omnes et editt. reliquae. Multa excidisse putat Spengelius; equidem ex emendatione Muelleri scripsi *hoc itidem et*, quod de verbis *dividiae est* accipiendum esse recte annotat.

Στεφανοπωλίδας scripsit Eubulus comicus [1]), e qua fabula Corollariam suam expressisse Naevium affirmat Meinekius. Equidem nec nego nec affirmo.

2.

Charisius [2]):

confestim,

pro continuo et sine intervallo, sed jugi festinationis studio pergentis. Naevius in Tarentilla et in Corollaria.

3.

Charisius [3]): *dapsiliter* [4]). *Naevius in Corollaria:*

últro
merétur quamobrem amétur, ita dapsíliter suos amícos alít.

quam orbem ed. princ.

4.

Charisius [5]): *efflictim. Naevius in Corollaria:*

nolo ego hánc adeo
efflíctim amare; díu vivat volo, út mihi
prodésse possit.

Bothius:

nolo hanc ego adeo efflictim
amare; diu vivat volo, ut mihi prodesse possit.

---

1) *cf. Meineke fragm. com. Graec.* I. *pag.* 366. 2) *pag.* 176 *et* 177 *P.* 116 *L.* 3) *pag.* 178 *P.* 117 *L.* 4) *cf. Plaut. Autul.* II. 1. 44., *ubi cave cum Bothio facias dapsilas pro dapsiles corrigente: cf. Trucul.* I. 1. 34; *Lipsii ant. lect.* I. 15. 5) *pag.* 178 *P.* 117 *L.*

5.

Charisius [1]): *mordicus. Naevius in Corollaria*: . . *utinam nasum abstulisset mórdicus*.

6.

Charisius [2]): *nimis. Naevius in Corollaria*: *nimis homo formidulósus est* . . . .

7.

Charisius [3]): *quippiam. Naevius in Corollaria*:

núm non vis te móneam - unum, si videtur, quíppiam?

Ita Putschius, qui unde hunc versum sumserit, incertum est. Desunt enim omnia apud Fabricium, et Lindemanni codex duo tantum verba offert *num quippiam*, edit. princ. *nam quippiam*.

8.

Charisius [4]): *trit. Naevius in Corollaria. Significat autem vocem murum.*

Ita editt. princ. Fabr. Putsch.; *significat autem mut.* . sequente lacuna cod. Lind. Atque re vera *mintire* vel *murrire* mures dicuntur [5]), nisi vespertiliones mures dixit Charisius, quae τρίζουσαι ab ipso Homero [6]) vocantur. Ceterum hoc fragmentum Graecum exemplum, a poeta Romano expressum, sapit.

9.

Charisius [7]): *attat tatat at tatae. Naevius in Corollaria*:

α. . . . . . *quid? salve!* β. *attát tatat at tatáe* α. *Rivalis*
Sálve! quid istúd vero a te - ávertisti tám cito?

at tatae editt. Fabr. Putsch.; *a te* ed. princ.; *attat ta-*

---

1) *pag.* 184 *P.* 121 *L.* 2) *pag.* 186 *P.* 123 *L.* 3) *pag.* 192 *P.* 128 *L.* 4) *pag.* 213 *P.* 143 *L.* 5) *cf. Lindemann ad Charis. l. l.* 6) *Odyss.* XXIV. 7, *ubi vide Clarke.*; *cf. Jacobs ad Anthol. Palat.* *pag.* 714 *et ad Aelian. hist. anim.* II. *pag.* 229; *Wernicke ad Tryphiodor. pag.* 285; *Wesseling ad Herodot.* IV. 183; *Zenodot. apud Valkenaer. adnimadv. ad Ammon. pag.* 175. *ed. Lips.* 7) *pag.* 214 *P.* 143 *L.*

tat at tatae et *vero te* cod. Lind.; *advertisti* cod. Lind. et editt.; restitui *avertisti* [1]). Bothius:

α.
quid *Salve?* Attate! attate!
β. α. β.
Rivalis *Salve*. Quid istud . . . attate. advertisti tam cito,

his additis: *Rivali rivalis obviam factus Salve dixerat. Quod alter miratus: quid, inquit, salve (mihi dicis)? Rivalis Salve. Et ille, qui salutaverat: Quid istud advertisti tam cito? quid hoc miraris? Quem interpellans salutatus attate suum iterat.* Nihil muto, nisi quod lenissima mutatione *avertisti* scribendum duxi. Rivalis rivali obviam fit; alter aemulationem et invidiam suam prae se fert, alter dissimulat. Jam ille irae suae indulsisse, et contumeliis alterum carpsisse videtur, qui, dissimulato odio: *quid?* inquit, *salve* potius. Cui iracundus alter, se dedecere ratus, si alterum bonis verbis salutaret, *attat tatat at tatae* respondet, quibus verbis se salutem a rivali datam non accipere declarat. Jam vero ille dissimulator, ac si alterum sibi succensere nesciat, *Salve* suum iterat; quamquam irridens rivalem hoc ipso nomine compellat; scilicet victoriam de eo reportasse videtur, ut jam, fugato hoste, amicitiam et humanitatem simulet. Quaerit enim ex inimico suo: *quid istud vero* (sc. *Salve!*) *avertisti a te tam cito* i. e. cur mihi irasceris?

10.

Charisius [2]): *St. Naevius in Corollaria:*

St!, tale
cave vérbum faxis . . . .

st editt. Fabr. Putsch.; †c (sic!) cod. Lind.; *it* ed. princ.; in verbis Naevianis *st* editt. Fabr. Putsch.; *se* cod. Lind. ed. princ.

Cave monosyllabum est [3]), quod cum non perspi-

---

1) *de frequentissima horum verborum confusione cf. Drakenborch ad Liv.* I. 12. 20. VI. 23. 8. XXVI. 5. 9.; *Moser ad Cicer. Tuscul.* IV. 6. 14; *Walther ad Tacit. Histor.* II. 51. IV. 80; *Corte ad Lucan. Phars.* V. 736. VI. 314. VII. 220. VIII. 857.
2) *pag.* 214 *P.* 143 *L.* 3) *cf. Hermann. Element. pag.* 65; *Becker de comic. Rom. fabul. pag.* 11 *sqq.*; *Duentzer et Lersch de vers. Saturn. pag.* 82.

ceret Bothius, verba transposuit: *tale verbum cave faxis*, versum asynartetum dicens.

II.

Diomedes [1]): *demolio. Naevius in Corollaria:*

haec démolite : . . . . : . .

inquit.

Verbum ultimae latinitati familiare est [2]).

Dementes.

Diomedes [3]), ubi de iterativis exponit: *item habeo et habito dicimus, ut apud Naevium in Dementibus:*

animáe pauxillum in me hábitat . . . . .

pauxillulum Both.

Demetrius.

Diu dubitavi, an togatis haec etiam fabula adnumeranda sit. In bello enim Illyrico Demetrium Pharium a Teuta, Illyriorum duce, ad Consules Romanos pacis petendae causa missum esse ipsumque haud ita multo post bellum instaurasse constat, in quo cum ab Aemilio Paullo anno p. u. c. DXXXV. victus esset [4]), ad Philippum II. Macedonem confugit, ad quem ejus deposcendi causa legati Romani missi sunt [5]). Ex hujus Demetrii fatis an fabulae suae argumentum sumserit, nescio. Quamquam Δημήτριον Alexis quoque comicus composuit [6]), ut nescias, expresseritne Naevius Graecum exemplum nec ne. Sed quod superest fragmentum, Demetrium palliatam, non togatam fabulam fuisse, comprobare videtur.

1.

Varro [7]): (apud Naevium [8])) *in Demetrio:*

persibus

a perite; itaque sub hoc glossema callide subscribunt.

---

1) *pag.* 395 *ed. Putsch.* 2) *Forcellini lexic.* II. 40 *ed. Schneeb.; Priscian. de art. gr. pag.* 871 *Krehl.* 3) *pag.* 335 *Putsch.* 4) *Polyb.* III. 18 *sqq.; Zonar.* VIII. 20. 5) *Liv.* XXII. 33. 6) *cf. Meineke comic. Graec. fragm.* I. *pag.* 338. 7) *de ling. Lat. pag.* 385 *Speng.* 8) *cf. Mueller ad Varron. l. l. pag.* 163.

persicus emend. August.; *persibe* conj. Neukirch.[1]); *aperite* libri omnes praeter Vertran. et Sciopp., qui Ursini [2]) emendationem *a perite* amplexi sunt; *glossemata* Sciopp.; *persibus aperite* Both., utrumque verbum Naevio tribuens, falso. Nam in iis, quae et praecedunt et sequuntur, Varro antiquis vocabulis illud, quod ἔτυμον dicunt, explicandi causa addit. Sed aliud etiam est argumentum, quo, nisi ea, quam proferam, conjectura praepropera dicetur, demonstrari potest, Bothium Varronis verba male esse interpretatum. Servavit enim, nisi fallor, locum Naevianum, e quo Varro vocem *persibus* excerpsisse videtur, Festus [3]): *persibus peracutum significare videtur. . . . . Naevius:*

. . .. et, qui fuerit, persibus carpendi adést ratio.

persicus libri et Paul. Diacon.; *persibus* restituit Scaliger. [4]); *carpenti adstratio* cod.; *adest ratio* margo Ursin. e conject. August.; *est ratio* vulg.; *captanda est ratio* conj. Dacier.; *carpenda est ratio* conj. Both. [5]). Facillima mea mihi videtur hujus loci emendatio; corruptelam enim locum traxisse, vox *adstratio* docet, quae nusquam alibi reperitur. Neque enim adjectivum *adstratus*, quod apud Scholiastem Juvenalis [6]) legitur, suspicionis notam effugere potest.

Versus Graecos mores prae se fert; Graeci enim carpere civium originem solebant. Exempla innumera. Ita etiam Naevianus hic homo rationem adesse affirmat callide carpendi originem alicujus i. e. *qui fuerit*.

Diabolaria.

Si ex inscriptione fabulae judicare de ejus origine licet, palliata haec quoque fuit et e Graeco exemplari expressa. Scripserunt enim Διάβολον Nicostratus [7]) et Apollodorus Carystius [8]).

1.

Fabius Planciades Fulgentius [9]): *Quid sit myro-*

---

1) *de fabul. togat. pag.* 71. 2) *ad Festi fragm. pag.* 17. 3) *pag.* 217 *Muell.* 4) *ad Varron. de ling. Lat. pag.* 160. *ed. Bip.* 5) *fragm. com. pag.* 23. 6) *Satir.* XVI. 8. *pag.* 614. *ed. Cramer.* 7) *cf. Meineke l. l.* I. *pag.* 348. 8) *cf. Meineke l. l.* I. *pag.* 463 *et* IV. *pag.* 444. 9) *pag.* 565 *Merc.* 396 *Gerl. et Roth.*

pola, quid affatim, quid venustare. Myropolae sunt, qui unguenta vendunt, ut sunt pigmentarii. Unde et Naevius in Diabolaria ait:

mýropola affatim mihi
únguentum largitus est quo mé venustarém.

Affatim dicitur abundanter, venustare vero exhilarare est.

Meropola cod. Gudian. II.; *miropola* cod. Basil.; *ungenta* cod. Gudian. I. et edit. princ.; *et sunt pigm.* editt. princ. et Iun.; *hi sunt* codd. Gudian. I. et Bongars. I.; *picmentarii* coll. Bongars. II.; *Venius in Diab.* cod. Basil.; *Diavolaria* codd. Bongars. I. et Basil.; *Dyovolano* cod. Gudian. II.; *Diabolaria* editt. Iun. et Merc.; *mihi* deest in codd. Gudian. I. et Bongars. I.; *ungenta* cod. Gudian. I.; *unguenta* coll. Bongars. I.; *largitus unguentum* transponit Both.; *me venustatim dicitur* cod. Gudian. II; *habundanter* idem et cod. Basil.; *venustare — est* desiderantur apud Iun.; *vero* omitt. ed. princ.; *exclarare* cod. Basil. et collat. Vulcan.; *exornare* cod. Gudian. II; *est* desideratur in cod. Gudian. II. editt. Basil. 1532 et Merc.

Corrupto metro Bothius:

myropola
affatim mihi largitus unguentum est, quo me venustârem.

Erularia.

Nomen libri manuscripti et editiones inde a Mercerio tuentur, cum antea in editionibus *Aulularia* circumferretur [1]).

1.

Nonius [2]): *praecisum et omasum, partes carnis et viscerum. Naevius Erularia:*

praecisum, omásum, pernam, cállum, glires, glándia.

Naevius Aulularia editt. ante Mercer.; *N. Herularia* msc. Gandens.; *Ennius Erularia* msc. Hadr. Iun., qua auctoritate fretus Spangenbergius [3]), an Naevii Erularia sit, dubitat; *perna* Merc. et Both.; *gallus* libri mss. Gerlachii, ut videtur; *callus* Both.; *callum* editt. Basil.

---

1) *cf. pag.* 139. 2) *s. vv. praecisum et omasum pag.* 151 *M.* 103 *G.* 3) *Ennii Annal. fragm. pag.* XXIII. *not.* 13.

1526 et Hadr. Iun.; *callus* Merc.; *glifis* cod. Guelferb. et edit. Merc.; *clifis* cod. Leid.; *glires* editt. Basil. 1526 et Iun.; *gliscis* editt. Basileensi vetustiores; *glisceis* Turneb.; *grandia* codd.; *glandia* editt.

Naevii Plautique aetate a coenarum etiam simplicitate degenerarunt Romani [1]), ut Cato Censorius hac etiam in re aetatis suae luxuriam castigaret [2]), et leges Censoriae coenis abdomina, glandia, et glires interdicerent [3]). Atque re vera pernas [4]), callos [5]), glires [6]) et glandia [7]) Romanis jam tum in coenarum deliciis fuisse constat. [8]) Itaque Naevium quoque nimiam aetatis suae luxuriam carpere arbitror.

Figulus.

Charisius [9]): *nimis...*; *idem* (Naevius) *in Figulo*:

nimis avarus.

Glaucoma.

Priscianus [10]): *tango praeteritum tetigi facit, et pungo, pupugi vel punxi. Naevius in Glaucoma*:

quód de obsonió stilo mihi in manu pupugit..

Ita libri mss Heidelb. et Erlang. I.; *et cum eo obson.* editt. Venett.; *eo obsonio* omisso *de* cod. Lips. II.; *de eo obson.* reliquae editt. seq. Both.; *in manum* vulg.

De obsonio est *propter obsonium* [11]), et *obsonium* piscem designare videtur [12]), quamquam in mss. Heidelberg. nota interlinearis ita explicat: *generali voca-*

---

1) *cf. Becker's Gallus* II. *pag.* 133. 2) *cf. Plin. hist. nat.* VIII. 78, *ubi Catonem aprugnum callum in orationibus suis exprobrasse narratur.* 3) *cf. Plin. l. l.* VIII. 77 *et* 82. XXXVI. 2, 4) *cf. Plaut. mil. glor.* III. 1. 162; *Wüstemann: der Pallast des Scaurus pag.* 244. 5) *cf. Lindemann ad Plaut. Capt.* IV. 3. 4; *adde*: *Pseudol.* I. 2. 32. 6) *cf. Festus pag.* 278 *Muell.*; *Varro de re rust.* III. 2. *pag.* 208 *et* III. 15. *ed. Bip.*; *Plin. hist. nat.* VIII. 82. XXIX. 39; *Wüstemann l. l. pag.* 245. 7) *Bosscha ad Plaut. Capt.* IV. 4. 7; *Plin. hist. nat.* XVI. 73. XVII. 4. 8) *cf. Becker Gallus* II. *pag.* 137. 9) *pag.* 186 *P.* 123 *L.* 10) *pag.* 496 *Krehl.* 11) *cf. Donat. ad Terent. Eunuch.* III. 2. 4; *Boetticher lex. Tacit. pag.* 144. 12) *van Staveren ad Nepot. Themistocl.* X. 3; *Westerhov et Perlet ad Terent. Andr.* II. 2. 23.

bulo omne epulum, quod apponitur ad manducandum, obsonium dicitur. Queritur autem aliquis, hominem quendam mancipium suum (hoc enim pronomen neutrum indicare videtur) propter pisces aut ablatas aut ante emtas stilo in manu pupugisse.

Gladiolus.

Naevio a compluribus haec fabula adscribitur, quam tamen bene Livio Andronico vindicarunt Osannus [1]), Duentzerus [2]), Weichertus [3]).

Gymnasticus.

1.

Nonius [4]): *mustum non solum vinum, verum novellum quidquid est, recte dicitur. Naevius Gymnastico:*

α.
útrum est melius, vírginemne an víduam uxorem dúcere?
β.
Vírginem, si músta est.

Gemnastico codd. Gerl.; *Gymnastico* editt.; *ne an - uxorem* desunt in cod. Leid.; *mustea* conj. v. d. aliquis ad veteris libri marginem, sine justa causa; nam novam agnam a Catone etiam *mustam* esse dictam testatur Priscianus [5]).

2

Nonius [6]): *pecua et pecuda, ita ut pecora, veteres dixerunt* [7]). *Naevius Gymnastico:*

hómines pecua bélluasque . . . .

3.

Nonius [8]): *simile est pro similis est, pro masculino positum neutrum. Naevius Gymnastico:*

pol aút parasitórum aliorúm simile est

pol haud conj. Benting. probb. Iun. Merc. Both.; *pol aut* libri, recte; deest enim alterum *aut.*

---

1) *anal. crit. pag.* 52 *et* 56. 2) *Liv. Andron. fragm. pag.* 51. 3) *poet. Latin. rel. pag.* 84. 4) *s. v. mustum pag.* 136 *M.* 93 *G.* 5) I. *pag.* 268 *Krehl.* 6) *s. v. pecua pag.* 159 *M.* 108 *G.* 7) *cf. fragm. Lycurg.* 22. 8) *s. vv. simile est pag.* 224 *M.* 152 *G.*

Versus frimeter choriambicus praeeunte basi [1]), ni exclamationem *pol* extra versum ponere malis. Bothius asynartetum versum dicit, postea tamen mutata sententia, ad restituendum metrum jambicum ita versus transposuit [2]):

pol haud aliorum simile est parasitorum.

4.

Nonius [3]): *destitui rursum statui* [4]). *Naevius in Gymnastico*:

in álto navem jubét destitui ánchoris.

Navem monosyllabum est [5]) et altera verbi *destitui* syllaba propter arsin producitur [6]). Quod cum non perspiceret Bothius, transponendis verbis ita metro auxiliari voluit:

in alto destitui anchoris navem jubet.

5.

Nonius [7]): *spissum significat tarde.* [8]) *Naevius Gymnastico*:

átenim tu nimís spisse atque tárde incedis . . .

Bothius verba *atque spisse*, ut glossam, exulare jubet.

6.

Nonius [9]): *cupidinem cum feminino genere dicimus, cupiditatem significamus, cum masculino, Deum ipsum. Naevius Gymnastico*:

edepól, Cupido
cum tám pausillus sís, nimis multúm vales.

pusillus Steph.; *pauxillus* Both., nescio an recte.

Versus alter trochaicus, alter jambicus [10]). Bothius in unum ambos conjungit, ut jambicus tetrameter sit, male, propter primae vocis quantitatem.

---

1) *cf. Hermann. Element. pag.* 431. 2) *in Mus. Rhen.* V. *pag.*269. 3) *s. v. destitui pag.* 279 *M.* 192 *G.* 4) *cf. Luebker ad Horat. Od. pag.* 339; *Corte ad Lucan. Phars.* VI. 733. 5) *cf. pag.* 148; *Hermann. Element. pag.* 65. 6) *Ritter element, gramm. Lat. pag.* 132 *sqq.* 7) *s. v. spissum pag.* 392 *M.* 266 *G.* 8) *cf. Stern ad Cicer. Brut.* XXXVI. 138. 9) *s. v. cupidinem pag.* 421 *M.* 285 *et* 286 *G.* 10) *cf. fragm. Agitator.* 3.

Sententia trita et decantata [1]).

7.

Nonius [2]) *herem pro heredem. Naevius Gymnastico:*

atque meis bonis
ómnibus ego te hérem faciam . . . .

heredem libri mss., *herem* editt.; Bothius transponit [3]):

atque ego te meis herem omnibus faciam bonis.

Hariolus.

Et hanc et, quae Leon inscripta est, fabulas in carcere composuit Naevius [4]), ut, quae cum in Metellos tum in Scipionem probra congesserat, ea dilueret. Nescio, an utraque togata fuerit, ita ut in Hariolo vates futuram gentis Corneliae per Scipiones magnitudinem et splendorem divinando praediceret. Hariolum enim de Scipionibus, Leontem de Metellis scriptam fuisse credo, quae opinatio quo nitatur, ad Leontem exponam.

1.

Festus [5]): *orea, freni quod ori inferuntur. Naevius in Hariolo:*

deprándi autem leóni si obdas óreas.

inferuntur cod.; *inseruntur* Paul. Diac.; *leonis obdas* cod., quam lectionem tuetur Scal., nominis *deprandi* casum rectum putans *deprandius*, improbante Muell.; *leoni si obdas* corr. Ursin.; *leoni subdas* conj. Dacier. prob. Both.; *oreat* cod.; *oreas* corr. Ursin.

Caecilio Statio hunc versum adscribit ed. Ald.; sed Naevii eum esse nemo jam in dubium vocabit [6]).

Deprandis est *impransus.*

2.

Macrobius [7]): *nux haec Avellana seu Praenestina, quae est eadem, ex arbore est, quae dicitur corylos* [8]),

---

1) *cf. Theocrit.* XIX. 8; *Anacr.* XL. 15; *Burmann. Anthol. Latin.* I. *pag.* 700. 2) *s. v. herem pag.* 486 *M.* 331 *G.* 3) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 270. 4) *cf. pag.* 22. 5) *pag.* 182 *Muell.* 6) *cf. Spengel Caecil. Stat. fragm. pag.* 6. 7) *Saturn.* II. 14. *pag.* 376 *Bip.* 8) *cf. Lorentz de civitate veterum Tarentinorum pag.* 4.

de qua Virgilius dicit: corylum sere. Est autem natio hominum juxta agrum Praenestinum, qui Carsitani vocantur ἀπὸ τῶν καρύων· cujus rei meminit Varro in Logistorico qui inscribitur: Marius de fortuna. Inde scilicet Praenestinae nuces. Est et illud apud Naevium in fabula Ariolo:

α. β.
. . . quis héri apud te? Praénestini et Lánuvini
α.
hóspites. Suopte utrósque decuit, ácceptis cibo, álteris
inánem bulbam mádidam dare álteris
nucés in proclivi profundere . . .

utrosque . . acceptos . . , dari liber; *utrisque . . acceptis . . dare* conj. Versiculis ἀμέτροις (ita enim dicit) Bothius ita auxiliatur:

α. β.
quis apud te heri? Praeneste et Lanuvio hospites.
α
Suopte utrosque decuit acceptos cibo:
inanem bulbam alteris madidam dari,
nuces in proclivi alteris profundere.

Nihil mutandum praeter ea, quae correxi, librariorum inopportuna sedulitate corrupta, qui cum verbum *decere* cum accusativo construi tenerent, in altero versu dativum in accusativum mutarunt, injuria [1]), altero intactum eum reliquerunt. Cave autem diversos casus Graeca illa constructione ὕπεστί μοι θράσος κλύουσαν [2]) tueri velis, quae et toto coelo ab hoc loco distat nec Latinis obtrudenda est.

Bothius: *nuces,* ait, *apponi jubet Praenestinis, h. e. ab iis dictas Avellanas; bulbos* s a l a c e s *Martialis* [3]) *appellat et noti colei Lanuvini: inde jocus.* At frigidior mihi quidem iste jocus videtur, et haereo in activo *profundere.* Sed leviora haec. Quae autem de Lanuvinis coleis (ὄρχεις Graeci dicunt) Bothius exponit, falsissima sunt. Nam uno tantum loco horum mentio fit et quidem apud Ciceronem [4]), ita tamen, ut appareat,

---

1) *non infrequens enim Dativus: cf. Westerhov ad Terent. Adelph.* III. 4. 45; *Stallbaum ad Rudimann. Instit.* II. *pag.* 207; *Corte ad Lucan, Phars.* VIII. 534 *et ad Sallust. Jugurth.* 85. *not.* 80. 2) *cf. Erfurdt et Hermann ad Soph. Electr. pag.* 473; *Wellauer ad Aesch. Choeph.* 405. *ibiq. Blomfield* 404. *not. crit.* 3) III. 75. 4) *ad Famil.* IX. 22 *sub fin.*

Coleos dictam fuisse gentem quandam Lanuvinam, quos idcirco Cicero affert, ut contra Stoicos evincat, in meris verbis non inesse obscoenum, sed in ipsa re. Quis enim (ita argumentatur), ubi de Coleis Lanuvinis sermo est, de iis cogitat, quae obscoena in viris sunt [1]? Atqui si salaces Lanuvini habebantur, unusquisque, puto, de re obscoena cogitasset. Pro *bulbam bulbum* substituere Bothius mavult, nescio an bene. Si enim vera sunt, quae de bulba exponit Forcellinius [2], ambiguitatem quandam obscoeniorem Naevium affectasse patet. *Bulbam* enim, non *bulbum*, poetam dixisse arbitratur, ut de vulva etiam spectatores cogitare potuerint Sed *madida bulba* [3]) hoc quidem sensu verba nimis praetexta sunt, quae ipsam vetustiorem comoediam Atticam lascivitate superent. Ut meam de his versibus sententiam interponam, nihil obscoeni mihi quidem in iis inesse videtur. Narrat enim vir quidam benignus et largus, se Lanuvinos quosdam et Praenestinos homines hospitio excepisse, cui avarus quidam ita respondit, ut illos haud dedecuisse e sua quidem sententia profiteatur, si, quae sua cujusque regio optima quaeque producat, ea e patria, tanquam grata acceptaque hospiti munera, attulissent. Nuces enim Praenestinae summo in honore habebantur [4]) et Lanuvinas lapathos (hae enim bulbae madidae sunt, quas Plinius [5]) *humidas, lubricas* autem Columella [6]) dicit) optimae notae fuisse conjicio. *Inanem* autem bulbam dicit sensu activo, quod, ut lapathi nomen, utpote a λαπάζειν derivandum, indicat, alvum inanit solvitque [7]).

Lignaria.

In libris mss. dicitur etiam *Ligartaca* et *Signaria.* Non Naevii est, sed Novii [8]).

Lampadio.

Varro [9]): *multa apud poetas reliqua esse verba,*

---

1) *confer tamen de Romanorum in componendis ambiguis verbis verecundia Fr. Ritter in Mus. Rhen.* III. *pag.* 459 *sqq.* 2) *in Lexico* IV. *pag.* 498. 3) *opposita siccae: cf. Rader ad Martial.* XI. 81. 2; *ita etiam udus: Juvenal.* X. 321. 4) *cf. Macrob. l. l.; Cato de re rust.* 8. 5) *hist. nat.* XIX. 31. 6) X. 373. 7) *Braunhard ad Horat. Epod.* II. 57. 8) *cf. Krehl ad Priscian.* V. 7. *pag.* 195; *Schober die Atellanisch. Schauspiele d. Roemer pag.* 14; *Munk de fab. Atell. pag.* 172. *not.* 165. 9) *de ling. Lat. pag.* 385 *Speng.*

quorum origines possint dici, non dubito, ut apud Naevium in Lampadione:

protinam

a protinus, continuitatem significans[1]).
significant Gryph.

Leon.

Quod hujus fabulae fuerit argumentum, incertissimum est. Multum tamen hac in re valet Gellii[2]) de ea testimonium, quod Naevium in carcere publico et hanc fabulam et Hariolum affirmat conscripsissse eo consilio, ut probra in proceres civitatis, Metellum praecipue et Scipionem, conjecta revocaret et Stesichoream quasi caneret palinodiam. Quae cum ita sint, Drakenborchium[3]) miror, qui Leontis fabulae argumentum dubitat an Leon ille fuerit, quo accusante Apollodorus quidam, qui Athenis deficiendi a Romanis ad Antiochum auctor fuerat, in auxilium ejectus est[4]). Acciderunt enim hae res anno p. u. c. DLXII., qui est annus a mortuo Naevio duodecimus. Neque de Leonte Phliasio[5]) vel Sicyonio[6]) cogitari potest, Pythagorae aequali, neque de Leonte Megarensi, Ciceronis aequali[7]). Meam qualemcunque de Leonte fabula sententiam supra[8]) patefeci. Vix enim dubito, quin ea ad Metellum pertinuerit. Marcellus enim, antequam Syracusas ab obsidione cinxit, ad Hexapylum, quem locum Leonta etiam vocabant, hibernacula teste Livio[9]) communivit. Tum autem Q. illum Metellum, Caeci filium, stipendia in Sicilia meruisse puto.

Fragmenta non exstant.

(Ludus sive *Satira).*

Dubitavi primum de fabulae inscriptione eamque in *Lydus* mutandam censui. Nam vocali *y* nec Livium nec Naevium usos esse Marius Victorinus[10]) memoriae prodidit. Pro *Lydo* igitur Naevius *Ludum* exaravit, et

1) *cf. Colac. fragm.* 3. 2) III. 3. 15. 3) *ad Liv.* XXXV. 50. 4. 4) *cf. Liv. l. l.* et XXXVIII. 10. 5) *Cicer. Tuscul.* V. 3. 8. 6) *Diogen. Laert. prooem.* 12 *et* VIII. 8. 7) *cf. in Verr. act.* II. 5. 7. 8) *cf. pag.* 155. 9) XXIV. 39. 13. 10) I. 4. 4. *pag.* 8. *ed. Gaisford.*

Lydum Livius quóque composuit Andronicus[1]). Sed meliora me edocuit Munkius[2]). Ludos enim satiras dicebant fabularum speciem referentes. Ejusmodi ludum hanc quoque Naevii fabulam fuisse, tum id, quod a Cicerone servatum est fragmentum, tum Festus comprobat[3]), qui, quamvis Ennium demum Satiram invenisse constet, e Naevii Satira versum affert. Quae cum ita sint, nec Ludum nec Satiram, nec, de qua re infra agetur, Personatam peculiares Naevii comoedias fuisse puto, sed *ludum* et *satiram* scribendum esse existimo, ut nescio cui fabulae propter satiricam indolem ludi et satirae nomen inderent. Si conjecturae locus, fuit ea quidem, qua proceres civitatis perstrinxit. Nihilominus tamen inter fabulas Ludum et Satiram recensui, quod incertum est, num deperditum sit proprium ejus fabulae nomen, quam propter satiricam ejus indolem vel satiram vel ludum dixerunt.

1.

Cicero[4]): *quodsi legere aut audire voletis externa, maximas res publicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis.*

Cedo qui vestram rem públicam tantam ámisistis tám cito?

Sic enim percontantur, ut est in Naevii ludo; respondentur et alia et hoc imprimis:

provéniebant orátores noví, stulti adolescéntuli.

dic *cedo* cod. Erf.; *percontanti* vel *percunctanti* editt. Silv. Victor. Magnol. Manut. Lambin. Petr. Lallemand. Goez.; *percontantur* codd. et editt. reliqq.; *in Naevii Ludo* editt. Vindel. Magnol. Manut. Lambin. Petr. Graev. Gernh. Orell. Klotz.; *in Naevii poëtae Ludo* editt. Sylv. Victor. Lallemand. Ern. Schuetz.; *in Naevii posteriori (e) libro* cod. Paris. et Basil.; *in Naevii posteriore libro* cod. Erfurt.; *provenient* cod. Par.; *proventabant* codd. aliqq. Placet.; *provehebantur ad res novi* editt. Lamb. Petr. Gernh.; *tum proventabant* conj. Hermann.[5]) *novi, stulti* codd. plerique, editt. Vendel. Sylv. Victor. Magnol. Manut. Graev. Ernest. Schuetz. Nobb. Orell. Klotz.; *novi et stulti* codd. Paris. et Erfurt.

---

1) *cf. Duentzer Liv. Andron. fragm. pag.* 73. 2) *de L. Pomponio Bononiensi pag.* 18. 3) *pag.* 257 *Muell.* 4) *Caton.* VI. 20. 5) *in act. liter. Lips,* 1819. *pag.* 972.

Metrum jambicum est, quod cum non viderent interpretes, summis machinis adhibitis aut contrahendas voces esse statuerunt [1]), aut conjecturis indulserunt; quippe de trochaico versu cogitabant.

Veterem Atticorum comoediam haec sapere nemo negabit. In fabulis Aristophaneis similem sententiam legisse me memini, etsi locum reperire nequivi. Est autem locus haud prorsus absimilis in comici Avibus [2]).

Omiserunt et hoc fragmentum editores, et id, quod, a Festo servatum, subjunxi.

2.

Festus [3]): *quianam pro quare et cur positum et apud antiquos, ut Naevium in carmine Punici belli* [4]) ... *et in satira:*

quianám Saturniúm populum pepulísti.?

et in satyra: quianam genus isti, et in satyra cod.; *et in satyra-isti* delenda recte statuit Muellerus, utpote e male repetitis verbis praecedentibus orta et jam ab Ursino uncis inclusa.

Queritur is, cujus verba sunt, de corrupta aetate sua, cur Saturni aetatem Deus exstinxerit, rogans.

Lupus.

Temere Scaliger, cui Dacierius et Bothius adstipulantur, *Ludum* hanc fabulam a Naevio inscriptam fuisse statuit. Nulla enim, cur a librariis corruptum fabulae nomen arbitreris, causa est. Nescio tamen, an Lupus alia sit Romuli, fabulae togatae, inscriptio, qua in fabula Romae conditores a lupo nutritos fecisse Naevium constat. [5]) Accedit, quod *Albani mulii*, vel, si Scaligeri emendationem sequi mavis, *Albani Amulii* in Lupo mentio fit. Sed comicus quidam in versibus a Festo servatis color inest, vel potius adeo corrupti sunt, ut, quid verum sit, vix reperiri possit.

1.

Festus [6]): *redhostire, gratiam referre. Naevius in Lupo:*

---

1) *nam cum Hermanno Orellius* n o v i *monosyllabum esse vult.* 2) *v.* 1694 *Dind.* 3) *l. l.* 4) *cf. pag.* 78. 5) *cf. fragm. Romul.* 1. 6) *pag.* 270 *Muell.*

α. β.
vél veniens regém... Salutant jùbae Albanum múlleum.
α.
cómitem seném sapientem cóntra redhostis, Maénalus.

Navius[1]) cod.; *Vejens.. saltant urbae Albanum mulium* cod.; *salvere jubet* conj. Ursin.; *Menalus* cod. Scaliger ita emendat:

ubi Vejens regem salutat: Iubeo Albanum Amulium comiter senem sapientem. Contra redhostit Menalus,

jubeo Albanum Amulium pro *salvere jubeo A. A.* dictum esse arbitratus [2]). Optima sane, si de literarum ductu judicandum est, conjectura; sed quae ei sententia sit subjecta, me cum Muellero non perspicere confiteor. Bothius, probata in universum Scaligeri emendatione, *vel Vejens* tamen in *Veïus* mutare mavult. Quam supra exhibui, mea est emendatio. Sententia autem haec est: Colloquitur cum Maenalo quodam patricius quidam Albanus, docens, quomodo alii cuidam homini, de Maenalo optime merenti, gratiae dicendae vel referendae sint. Ut enim graviores sint et acceptiores gratiae, coram rege eas referendas esse dicit, quem illud non aegre laturum esse affirmat, quippe qui senex sit comes et sapiens. Mediam autem orationem interrumpit importunus quidam et fastidiosus, nec Albanus nec Romanus, sed miles (ita enim videtur) gloriosus e Graecia, qui galea cristata ornatus, illum Albanum hominem ita salvere jubet: *salutant jubae Albanum mulleum* i. e. cristatus ego et fortis et bellicosus saluto te, hominem mollem et feminarum more calceis aut albis aut rubris utentem. Reges enim et principes Albanorum mulleis uti solebant [3]), deinde etiam Romani, quibus tamen eorum usum Aurelianus imperator interdixit.[4])

Quod vero ad dictionem attinet, *jubam* Virgilius [5]) quoque galeae cristam dixit. Neque erat, quod in duplici adjectivo *comitem* et *sapientem* Scaliger et Bothius offenderent [6]). Praepositio autem *contra* vel, ut

---

1) *cf. pag.* 89. *not.* 3. 2) *cf. Westerhov ad Terent. Andr.* III. 3. 1. 3) *Festus et Paul. Diacon. pag.* 142 *et* 143 *Muell.; Mueller's Etrusk.* I. *pag.* 269 *sqq.; Becker's Gallus* II. *pag.* 105. 4) *Vopisc.* 49. 5) *Aen.* II. 412. VII. 785. 6) *cf. Duentzer Liv. Andr. fragm. pag.* 55.

hoc loco est, postpositio[1]) saepe pro *apud*, *coram* usurpatur[2]). Neque, de qua re monuit Muellerus, correpta hujus vocis ultima habet, quo offendaris[3]). *Maenalus* denique pro vocativo *Maenale* est.[4])

Nautae.

Festus[5]): *supparus dicebatur puellare vestimentum lineum, quod et subucula appellabatur. Puni*(ceum vestimentum ita vocat) *Naev*(ius) *de* (bello Puni)*co*[6]), *et in Nautis vocat Neptuno vestem consecratam*

supparum.

Miro quodam errore Spangenbergius[7]) Festi verba corrupta dicit et Naeviano de Punico bello carmini hunc versum vindicat, qui ne Saturnius quidem est:

. . nautae vovent Neptuno puniceum supparum,

quo errore vitato Bothius in Charybdin nihilominus cum Spangenbergio incidit, Naevii Nautis hunc versum tribuens:

Neptuno vestem consecratam supparum.

Sed sole clarius est, unum *suppari* verbum Naevianum a Festo citari, ita tamen, ut vestem Neptuno e voto (ita enim et ipse existimo) a nautis, tempestate laborantibus naufragiumque timentibus, consecratam *supparum* a poeta dictam esse affirmet. Muliebris enim vestis subucula sive supparum est[8]), ut sane mirum videatur, virilem vestem *supparum* dici. Quae res Vossium[9]) quoque in errorem induxit, cum supparum virile potius vestimentum esse affirmet, obloquente tamen Neukirchio.[10])

Pacevus.

Ita in plerisque libris legitur, neque spernendam esse duxi hanc inscriptionem, quamvis, quid ea sibi velit, me quoque nescire profitear.

---

1) *Ramshorn Gr. Lat. pag.* 475 *et* 477; *Ruhnken ad Vellej.* II. 91. 3; *Walther ad Tacit. Annal.* III. 1; *Liv.* XXXVIII. 46. 2) *cf. Interprett. ad incert. auct. bell. Alexandr.* 24. 3) *cf. Ennii Annal.* I. 131 *Spangenb.* 4) *Corte ad Lucan. Phars.* II. 116; *Lucret.* I. 45. 5) *pag.* 310 *Muell.* 6) *cf. fragm. incert.* 5. 7) *Naevii de bello Punico librorum* VII. *fragm.* II. 21. 8) *cf. quae citavimus pag.* 79. *not.* 4; *adde Afran. Epist.* 14. *ed. Neukirch.* 9) *Etymol. s. v. supparum.* 10) *de fab. Roman. togat. pag.* 205.

1.

Nonius [1]: *catapulta, jaculum celer vel sagitta. Naevius Pacevo:*

ut sóla ea rescit, cérea castra crébro catapulta impulit.

Novius codd. praeter Leidens., qui *Naevius*, quae editionum etiam lectio est, offert; *Pacetio* cod. Basil. et edit. Venet. 1480; *Pacio* margo ed. Iun.; *Pacevo* codd. et editt. reliqq.; *Pacilio* vel *Racemo* vel *Bacillo* mavult Both.; *soleorescit* codd.; *sole horrescit* editt. Venet. 1480. Ald., *sol coruscat* conj. Iun. prob. Gerlach.; *sole crescit* conj. Steph. prob. Merc.; *sole liquescit* conj. Both.; *cerea* codd. et editt. praeter Venet. 1480. Aldin. Iun., quae *cera* exhibent prob. Both.; *sera* conj. Steph.; *aerea* conj. Iun.; *crebro* codd. et editt.; *crebra* conj. Both.; *catapultam pulit* cod. Guelferb. manu prim.

Sóla ea rescit Naevium scripsisse arbitror, quem verbo *rescire* usum esse testatur Gellius. [2] Sententia haec est: sola ista femina scit, qua ratione subdolus servus in senis alicujus argento (haec enim *cerea castra* esse videntur, quippe quae facillime expugnentur [3]) in filii amantis gratiam expugnando periclitatus sit. *Catapulta* enim sensu etiam metaphorico de quovis instrumento, quo expugnare aliquid solent, dicitur. [4])

Paulus.

Novii est vel Pacuvii, quemadmodum putant Scaliger et Delrius. [5])

Pedius.

Novii et ipsa est, ut cui codices Noniani eam, ubicunque ejus mentio fit, consentientes tribuant, excepto uno loco [6]), quo Naevio eam assignant omnes et codices et editiones, praeter Venet. 1486 et 1526, Aldin. Mercer. Sed causa erroris apparet, cum pro-

1) *s. v. catapulta pag.* 552 *M.* 379 *et* 380 *G.* 2) II. 19. 6; *cf. fragm. Triphalli.* 3) *Cicer. de nat. Deor.* 3. 12. 30; *Horat. art. poet.* 163; *Od.* III. 16. 22; *cerea castra a Virgilio apum favi dicuntur. Aen.* XII. 589. 4) *cf. Plaut. Capt.* IV. 2. 16; *ita etiam ballista; Plaut. Bacch.* IV. 4. 58. 5) *cf. Munk de fab. Atell. pag.* 87. 6) *s. v. supparum pag.* 540 *M.* 370 *G.*

pter vocem *supparum* versus Novianus citetur, qua voce Naevium compluries usum esse non ignorarunt librarii. [1])

Pellicus.

Nonius [2]): *socrus et masculino genere veteres dici posse voluerunt* [3]). *Naevius Pellico:*

desine socrui tuo, fratri, patrui meo.

Pellice mavult Both.: *socri* codd. et editt.; emendavi *socrui; socro* conj. Both.; *patrueli meo* conj. Merc. prob. Both. Iam vero hoc quoque loco videre licet, qua ratione Bothius artem criticam exerceat. *Socro* enim e *socero* contractum esse affirmat [4]), alio tamen loco in Attii Atreo [5]) masculinum *socru suo* intactum reliquit. Sed quam olim proposuerat versus Naeviani explicationem, qua *desine socro* pro *desine a socro, mitte illum* dictum esse putabat, eam jam retractavit [6]); jam enim ita legere mavult:

desim socro tuo, fratri patrueli meo.

Intactum reliqui *patrui*, cum nesciam, an *patrûs* etiam quartae declinationis apud antiquissimos poetas fuerit, e *patruus* contractum. Dativos vero illos a verbo quodam omisso, fortasse *adversari*, pendere putaverim.

(Personata.)

Festus [7]): *Personata fabula quaedam Naevi inscribitur, quam putant primum actam* (deest haec vox in cod. Farnes.) *a personatis histrionibus. Sed cum post multos annos comoedi et tragoedi personis uti coeperunt, verisimilius est, eam fabulam propter inopiam comoedorum actam novam per Atellanos, qui proprie vocantur personati, quia jus est iis* (cod. *is*) *non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est.* [8])

Ita Festus, cujus verba non ita intelligenda sunt, ut personis ante Naevii aetatem Romanos in scena

---

1) *cf. fragm. Pun. bell. incert.* 5. *pag.* 79. *et fragm. Nautar.* 2) *s. v. socrus pag.* 223 *M.* 152 *G.* 3) *cf. Priscian. pag.* 248 *Krehl.* 4) *cf. Plaut. Casin.* IV. 2. 18; *Menaechm.* V. 5. 54. 5) *fragm.* 5. *pag.* 185. 6) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 271. 7) *pag.* 217 *Muell.* 8) *cf. Hoelscher de personarum usu in ludis scenicis apud Romanos pag.* 24. (*Berolini* 1841.)

usos non esse credas, sed ita, ut Graecarum fabularum actores a juvenibus Romanis, qui ludos Fescenninos et postea Atellanas personati agere solebant, tanquam peregrini, quominus personis uterentur, prohibiti sint, postea vero tragoedi etiam et comoedi per abusum personas induerent. Ita recte Festi verba interpretatus est Munkius [1]), post cujus doctam hujus rei interpretationem nemo jam, puto, Muellerum sequetur, post verba *multos annos* haec intercidisse putantem: *acta sit quam*.

Personatam vero fabulae inscriptionem ab ipso poeta non profectam esse propterea puto, quod poetas Romanorum scenicos ita fabulas suas inscripsisse constat, ut aut nomen a fabulae argumento petitum sit, aut ejus, qui primas agebat partes, personae nomen fabulae praeponerent. Quae cum ita sint, ut Ludum et Satiram (nam priscam illam satirarum speciem abolitam illam et jacentem [2]) imitatum Naevium esse quis putet?), ita Personatam fabulas quidem Naevianas dico, non tamen ab ipso poeta ita inscriptas, sed a populo propter similitudinem quandam aut casum ita dici solitas.

Philemporus.

Fulgentius [3]): *sculponeas dici voluerunt cestus plumbo ligatos.* [4]) *Unde et Naevius Philemporo comoedia ait:*

sculpóneis batuénda huic sunt latéra probe.

sculponeas collatt. Bongars. II. et Vulcan. codd. Gudian. II. Basil. Leidens. Munckeri; *ischulponeas* cod. Leidens. Staverenî; *iscolponeas* collat. Bongars. I.; *scolponeas* edit. princ.; *sculponeas* cod. Gudian. I. editt.

---

1) *de fab. Atell. pag.* 70. 2) *cf. Munk l. l. pag.* 16 *sqq.* 3) *s. v. sculponeae pag.* 562 *M.* 392 *G.* 4) *falsa haec et propter additos versus Naevianum et Plautinum excogitata. Sculponeae enim calceamenta rustica sunt, e ligno excavata: Cato de re rust.* 59; *et constat, cum puerorum nates calceamentorum soleis pulsatas esse, tum virorum etiam capita et latera iis commitigata esse; quid? quod soleis suis maritos petere solebant uxores, ut Herculem Omphale. Cf. Heinrich ad Iuvenal. Satir.* VI. 610; *Plum ad Pers. Satir.* V. 169; *Westerhov ad Terent. Ennuch.* V. 8. 4.

Iun. Merc. Both.; eadem lectionum varietas in versu Naeviano; *filemporo* cod. Gudian. I.; *Phylemporo* cod. Gudian. II; *Philempore* edit. Basil. 1532; *Philemporo* reliqq.; *blatenda* collat. Bongars. II.; *blattenda* codd. Gudiann. I et II.; *batuenda* editt. princ. Iun. Merc. Both.; *blatenda* cett.; *sculponeas battenda* edit. Basil. 1532; *sunt huic* cod. Basil. et editt. omnes; *latera plumbo* cod. Gudian. I.

Simillimus est locus Plautinus [1]), ab ipso Fulgentio allegatus. De hujusmodi servorum suppliciis disputavit Beckerus. [2])

Projectus.

1.

Diomedes [3]): *item patio* (pro patior). *Naevius in Projecto:*

. . . *populus pátitur tu patiás modum.*

2.

Diomedes [4]): *item moro. Naevius in eodem:*

. . . . *quid moras? quid imperas?*

Pulli.

1.

Nonius [5]): *assulatim ut minutatim* [6]) *Naevius Pullis:*

α. éscam hîc jure in ós pullo da. β. ad scíntillas simul ássulatim
vís, ajas. α. sumit eibum.

Ita emendavi corruptam omnino librorum lectionem. *Vaeius* codd. et editt. praeter editiones ante Aldinam, quae *ova ejus*, Ald. Iun. Merc., quae *Naevius* exhibent; *Laevius* conj. Mercer. improbante Weicherto. [7]) Libri versus Naevianos ita exhibent:

escam hic jure inops pullo da adscint
illa simul assulatim vis ajas sumit cibum.

---

1) *Casin.* II. 7. 58. 2) *Gallus* I. *pag.* 128. 3) *pag.* 395 *ed. Putsch.* 4) *l. l.* 5) *s. v. assulatim pag.* 72 *M.* 52 *G.* 6) *cf. Lindemann ad Plaut. Capt.* IV. 2. 52. 7) *Poet. Latin. reliq. pag.* 82.

Emendarunt viri docti ita: Stephanus:

escam hic jure inops paulo da adsimile,
simul assulatim vis ajas, sumit cibum.

Scaliger:

escam hic jura in ollis pullo das edentulo,
simul assulatim, vix Aiax sumit cibum.

Mercerius:

escam si e jure in os pullo das edentulo,
simul ássulatim jus jacis, sumit cibum.

Sed haec omnia, ut intelligantur, Oedipum requirunt. Bothius:

etiam injuriose pullo laceras ilia
simul assulatim evisceras? sumit cibum.

idem postea [1]):

si escam hanc e jure in os das pullo, ad situlam
simul assulatim missitans, sumet cibum.

Facillima mea est emendatio et a librorum lectione vix recedens. Sententia haec est: praecipit pullarius ministro suo, ut jure (i. e. secundum leges praescriptas) escam pullo in os inferat. Quippe aspernatus escam pullus erat. Respondet ille: *simul* [2]) *vis* ut *ad scintillas* [3]) et *assulatim* escam dem, *ajas*. Vix ea affatus est, cum jam pullus escam comedit, quod omen laetissimum pullarius verbis *sumit cibum* indicat.

2.

Nonius [4]): *morsicatim. Naevius Pullis*:

sic incedunt et in labellis mórsicatim lúsitant.

Suis Pullis msc. Mercer. et, ut videtur, Gerlachii codices omnes: *Naevius* restituit Merc., qui tamen mavult *Laevius*; *in* omittit Bothius metri causa, injuria. [5])

---

1) *in Mus. Rhen.* V. *pag.* 271. 2) *i. e. simulac: cf. Arntzen ad Aurel. Vict. pag.* 279. 3) *i. e. Koernerweise, Brockenweise: cf. Goerentz ad Cicer. Acad.* IV. 44. 135.; *scintilla enim minima quaeque rei alicujus particula et frustilla dicitur cf. Huelsemann ad Cicer. Acad.* IV. 19. 61. *Plaut. Trinum.* III. 2. 52. 4) *s. v. morsicatim pag.* 139 *M.* 95 *G.* 5) *nam incedunt ultimam corripit: cf. Lindemann de veter. Latin. ling. prosod. pag.* XVIII.

3.

Nonius [1]): *asperiter.* *Naevius Pullis:*

ubi tú nequaquam cubáres asperitér . .

Veius Pulis codd. Gerl.; *Naevius Pullis* editt. Ald. Jun. Merc.; *Laevius* conj. Merc.

Corripitur vocis *nequaquam* syllaba ultima [2]).

Fragmentum a Nonio [3]) servatum et inscriptum: *Novius Paulo* falso Naevii Pullis vindicare conatus est Laurenbergus [4]).

Quadrigemini.

Nonius [5]): *parcuit, pepercit.* *Naevius Quadrigeminis:*

suó labori núllus parcuit . . .

laboris codd.; *labori* editt.

Sanniones.

Naevio a Stephano Bothioque falso haec fabula tribuitur, quae Novii est [6]). Confer quae ad Tabellariam fabulam disputabimus.

(Satira).

Quae de hac fabulae alicujus inscriptione mea sit sententia, supra exposui [7]), ubi etiam fragmentum a Festo [8]) servatum recensui. Primas enim satiras Ennius composuit: sed fabulae, quae cum acerbitate (acerbum autem et maledicum novimus Naevium) scriptae aequalium vitia carpebant, satirae postea dicebantur [9]).

Sirene.

Livii Andronici est, quemadmodum docuit Weichertus [10]), ut, nisi constaret, Bothium negligere solere,

---

1) *s. v. asperiter pag.* 513 *M.* 351 *G.* 2) *cf. Becker de com. Rom. fab. p.* 70. 3) *s. v. celere pag* 510. *(falso Munkius de Atell. Rom. fab. pag.* 87 *citat* 530) *M.* 348 *G.* 4) *antiq. pag.* 75. 5) *s. v. parcuit pag.* 153 *M.* 105 *G.* 6) *cf. Mercerius ad Nonium pag.* 710; *Munk l. l. pag.* 180 *not.* 200. 7) *pag.* 159 *et* 165. 8) *pag.* 257 *Muell.* 9) *cf. Manso vermischte Aufsätze pag.* 414 *sqq.* 10) *cf. fragm. tragic. incert.* 10.

quae nova nostra invenit aetas, satis nequeas mirari, hunc virum inveteratum illum errorem, quo Naevio versum e Sirene citatum adscribunt, repetere potuisse [1]).

Stalagmus.

Donatus [2]): *mihi videtur ad hoc* (sc. irato Deo) *addidisse meo, ne esset ἀμφίβολον, cui diceret irato Deo. Naevius in Stalagmo:*

Deó meo propitio meús homo est.

Versus senarius integer est, non, ut Bothius opinatur, capite mutilus. Ultima enim pronominis *meus* syllaba arsi producitur [3]).

Verba sunt civis Romani, servum contra alium civem sibi vindicantis.

Stigmatias.

Si ex inscriptione fabulae de ejus argumento judicare licet, describebantur in ea aut liberi hominis calumniae damnati, quorum frontibus K literam inurere solebant [4]) (*Kalumniam* enim prisci scribebant), aut servi fugitivi et captivi fata, quorum frontes et ipsos stigmate notabant [5]).

1.

Varro [6]): (Naevius) *in Stigmatia:*

praebia

a praebendo, ut sit tutus, quod sint remedia in collo pueris.

proebia a prohibendo conj. Scal. prob. Both., male. Legitur enim apud Paulum Diaconum [7]): *praebia, remedia*, e quibus corrigendus est Festus [8]), qui alio loco (nam illo Festi verba interciderunt): *praebia* (cod. *praedia*), ait, *rursus Verrius vocari ait ea remedia, quae Gaia* (cod. *data*) *Caecilia, uxor, Tarquini Prisci,*

---

1) *in Mus. Rhen.* V *pag.* 271. 2) *ad Terent. Phorm.* I. 2. 24. 3) *cf. Ritter element. gramm. Latin. pag.* 140. 4) *cf. Lipsii Elect.* II. 15. 5) *Weichert poet. Latin. rel. pag.* 224 *not.* 12 *et pag.* 228; *Franke's Geschichte Trajan's p.* 335; *Becker's Gallus* I. *pag.* 129; *Göttling's Röm. Staatsverf. pag.* 133. 6) *de ling. Lat. pag.* 386 *Speng.* 7) *pag.* 235 *Muell.* 8) *pag.* 238 *et* 240 *Muell.*

invenisse existimatur et immiscuisse zonae suae (cod. *on suae*), *qua praecincta statua ejus est in aede Sanci* (cod. *Sanctus*), *qui Deus Dius Fidius vocatur, ex qua zona periclitantes ramenta sumunt. Ea vocari ait praebia* (cod. *praedia*), *quod mala prohibeant.*

Praebia vel amuleta Graecorum προβασκάνια sunt, quae, ut mala a se prohiberent, portare solebant [1]).

Tabellaria.

Novio eam tribuunt Bothius [2]) et, quamquam dubitanter, Munkius [3]). Atque re vera, si librorum auctoritatem sequi vis, nescis, quid amplectare. Diomedis enim libri omnes Naevium fabulae auctorem exhibent, dum Noniani libri manuscripti Novium tuentur. Sed sequitur in libris Nonianis fragmentum illud e Sannionibus, quam fabulam Naevio libri, Novio viri docti vindicant. Recte, si quid video, hi. Scurrae enim illi, quibus Sannionum nomen dederunt, Atellanis magis conveniunt, quarum quasi proprii sunt dicendi [4]), quam aliis fabulis scenicis. Praecedit autem in libris Nonianis versus e Tabellaria depromtus et in codicibus Novii nomen prae se ferens. Verum enim vero res ita sese habere videtur, ut et Naevii et Novii nomen locum mutaverint, et Tabellaria falso Novio, Sanniones injuria Naevio adscripti sint.

1.

Nonius [5]): *pannus usu generis masculini. Neutro Naevius Tabellaria*:

quí habet uxorém sine dote, pánnum positum in púrpura est.

Naevius editt. Ald. Jun. et Pariss.; *Novius* reliqq.

Qui cum *habet* non coalescit, sed corripitur [6]).

---

1) *cf. Kirchmann de annulis veterum. Lugdun.* 1672; *Spanheim ad Callim. pag.* 329; *Casaubon. ad. Athen.* III. 34. *pag.* 123; *Böttiger's Sabina* II. *pag.* 162; *Becker's Charikles* II. *pag.* 294; *Dilthey ad Tacit. Germ.* 45 *pag.* 289; *Wilhelm's Germanien pag.* 346; *Scholiast. ad Aristophan. Plut.* 885 *Hemsterh.* 2) *fragm. com. pag.* 65. 3) *l. l. pag.* 180 *not.* 202. 4) *cf. Munk l. l. pag.* 38. 5) *s. v. pannus pag.* 218 *M.* 148 *G.* 6) *cf. Ritter element. ling. Lat. pag.* 150 *sqq.*

2.

Diomedes [1]: *affero, attuli, quoniam et fero, tuli dicimus; quamquam et id imperfectum, quod est attuli, ab alio verbo proficisci reperimus apud veteres, ex eo, quod est attulo, ut Naevius in Tabellaria:*

. . . . dótem ad nos nullam áttulat.

Naevius libri omnes.

Tarentilla.

Comoediam *Ταραντῖνους* scripsit Alexis [2].

1.

Paulus Diaconus [3]: *adnictat, saepe et leviter oculo annuit. Naevius in Tarentilla:*

álii adnutat, álii adnictat, álium amat, aliúm tenet [4].

Bothius cum Dacierio et Scaligero [5] propter sententiae similitudinem plures versus Ennianos ab Isidoro citatos Naevio vindicat, improbantibus recte Muellero et Lindemanno [6]. Apud Isidorum [7] enim haec leguntur: *Ennius de quadam impudica:*

quasi in choro pila
ludens datatim [8], *dat se* [9] *et communem facit;*
alium tenet, alii innuit, alibi manus
est occupata, alii percellit pedem,
alii dat annulum adspectandum, a labris
alium invocat, cum alio cantat, attamen
aliis dat digito literas.

Imitatus potius Naevium Ennius est, ut compluries [10]; quamquam similes vitae meretriciae adumbrationes haud paucae apud comicos Romanos inveniuntur [11].

---

1) *pag.* 376 *ed. Putsch.* 2) *cf. Meineke comic. Graec. fragm.* III. *pag.* 483. 3) *pag.* 29 *Muell.* 4) *tenere est in amplexibus habere: cf. Tibull.* I. 5, 39. 5) *ad Varron. de ling. Lat. pag.* 251 *ed. Bip.* 6) *ad Festum pag.* 341. 7) *Origin.* I. 25. 2. 8) *cf. Munk de fab. Atell. pag.* 135 *not.; Becker's Gallus* II. *pag.* 272. 9) *cf. Donat. et Westerhov ad Terent. Eunuch.* III. 3. 10. 10) *cf. pag.* 39. 11) *e. gr. Plaut. Asin.* V. 1. 29.

2.

Charisius [1]): *duum. Naevius in Tarentilla:*

sálvi et fortunáti sitis dúo duum nostrúm patres.

Ita codex Lindemanni, cum in editionibus *sitis* desit, quod felici conjectura Bothius restituerat.

3.

Charisius [2]):

confestim

pro continuo et sine intervallo, sed jugi festinationis studio pergentis. Naevius in Tarentilla et in Corollaria. [3])

Editores hoc fragmentum omiserunt.

4.

Charisius [4]): *defricate. Naevius in Tarentilla:*

facéte et defricáte . . . . .

Defricate est salse, astute, callide [5]).

5.

Charisius [6]): *nimis. Naevius in Tarentilla:*

núnquam quisquam amico amanti amica nimis fiét fidelis
néc nimis erit morigera et nota quisque . . . . . .

siet editt. Fabr. Putsch.; *fiet* cod. Lind. et edit. princ.; *morigera nota* editt.; *morigeret nota* cod. Lind.; *quisquis est* conj. Lindem.; Bothius:

nunquam quisquam amico amica nimis siet fideli', nec
nimis erit morigera nota quisque.

Js. Vossius [7]):

nunquam quisquam amica
amanti amico nimis fiet fidelis,
nec nimis erit morigera.

nota amica est familiaris [8]), *quisquam* vero et *quisque* feminino genere pro *quaequam* et *quaeque* dicta sunt [9]).

1) *s. v. duum pag.* 101 *et* 102 *P.* 72 *et* 73 *L.* 2) *s. v. confestim pag.* 176 *et* 177 *P.* 116 *L.* 3) *fragm.* 2. *pag.* 146. 4) *s. v. defricate pag.* 178 *P.* 117 *L.* 5) *cf. Heindorf ad Horat. Satir.* I. 10. 3. 6) *s. v. nimio pag.* 186 *P.* 123 *L.* 7) *ad Catull. pag.* 307. 8) *Tibull.* IV. 13. 22. 9) *Columna ad Ennii fragm. pag.* 212; *Ruhnken ad Iul. Rufinian. pag.* 266 *ed. Frotsch.; Osann anal. crit. pag* 124; *Duentzer. Liv. Andron. fragm. pag.* 92; *Donat. et Westerhov ad Terent. Eun.* II. 3. 82.

6.

Charisius [1]: *peregri autem, cum in loco est. Naevius in Tarentilla:*

prímum ad virtutem út redeatis, ábeatis ab ígnavia
domós, patres, pátriam út colatis pótius, quam peregri probo.

reductis cod. Lind.; *redactis* edit. princ.; *redeatis* editt. Fabr. Putsch. prob. Lindem.; *domos patres, patriam* cod. Lind.; *domo praesens patriam* editt.; *tum in praesens patriam* conj. Both.

Domos monosyllabum est [2].

7.

Charisius [3]: *peregre pro peregri. Naevius in Tarentilla:*

. . ubi isti dúo adolescentés habent [4],
qui híc ante parta pátria peregre pródigunt.

adolescentes editt.; *ubi isti habent adolescentes duo* transponit Bothius; quippe *adulescentes* ultimam arsi producere oblitus erat [5].

8.

Charisius [6]: *quanti, cum interrogamus, nec emimus; quanto, cum emtam rem quaerimus. Naevius in Tarentilla:*

Quae ego in theatro hic meís probavi plaúsibus,
ea nón audere quémquam regem rúmpere?
Quantó libertatem hánc hic superat sérvitus?

nunc pro *non* et *libertatem antehac superat servitus* conj. Both.

Exemplum quam inopportune sit appositum ad probandam rem, quisque videt. Accusativus autem cum infinitivo in interrogatione cum vehementia et iracundia prolata saepius invenitur [7].

---

1) *s. v. peregri pag.* 189 *P.* 126 *L.* 2) *Becker de com. Rom. fab. pag.* 10 *sqq.* 3) *s. v. peregre pag.* 189 *P.* 125 *L.* 4) *habent est habitant: cf. fragm. Dementium; Lindemann ad Plaut. Trin.* I. 2. 156. 5) *cf. fragm. Stalagmi.* 6) *s. v. quanti pag.* 192 *P.* 128 *L.* 7) *Cf. Ruhnken ad Terent. Andr.* I. 5. 10.; *Heindorf ad Horat. Satir.* I. 9. 7.

9.

Charisius [1]): *rursus negant dici debere, sed rursum, ut iterum. Maro tamen rursus . . . . . inveni. Nam is in Tarentilla:*

qua pórro confidéntia
rúrsus ausus vérbum cum-eo fácere fuerim . . .

Ita cod. Lind., nisi quod versum Naevianum corruptum et mutilum affert: *qua pro confidentia usus verbum cum eo fuerim facere,* quaė ita corrigit Lindemannus:

qua pro confidentia
rursum ausus verbum cum eo facere fuverim.

At *rursus* apud Naevium inveniri docere vult grammaticus. Consentit cum codicis lectione edit. princ., nisi quod versum Naevianum ita exhibet: *qua porro confidentia verbum cum eo ausim facere.* Lacunam, quae et in codice et in edit. princ. inest, ita explent Fabricius et Putschius, nescio utrum librorum manuscriptorum ope adjuti, an conjectura. Fabricius: *Maro tamen: Scandunt rursus equum. Naevius in Tarentilla:*

qua porro confidentia
rursus verbum cum oo ausim facere.

Putschius: *Maro tamen: Rursus in arma feror; Scandunt rursus equum. Et tamen in locis Naevii rursus invenimus. Nam is in Tarentilla:*

qua porro confidentia
ausus fuerim rursus verbum cum eo facere

sequente Bothio.

10.

Charisius [2]): *serio pro vere. Naevius in Tarentilla:*

. . . . vereor sério.

11.

Charisius [3]): *utrubi. Naevius in Tarentilla:*

útrubi coenáturi estis, híccine an in triclínio?

utribi editt. et Both.; *hicine* cod. Lind.; *hiccine* editt.

---

1) *s. v. rursus pag.* 193 *P.* 129 *L.* 2) *s. v. serio pag.* 195 *P.* 131 *L.* 3) *s. v. utrubi pag.* 198 *P.* 133 *L.*

12.

Charisius [1]):

atque

pro et. Cn. Naevius in Agitatoria [2]), *sed et in Tarentilla.*

Omiserunt vocem editores.

13.

Charisius [3]): *ei ei. Naevius in Tarentilla:*

! ei ei, etiám se audenti mécum una apparére.

ei ei! etiam se audent conj. Both.; *se audenti* cod. et editt.; *mecum* Fabr. Putsch.; *necum* ed. princ.; *inecum* cod. Lind.; *adparare* conj. Both.

Constructio *audere se apparere* haud inusitata est [4]). Verba mutare non audeo; nam deesse videtur verbum, a quo dativus pendet.

14.

Charisius [5]): *at at tatae* [6]). *Idem in eadem:*

at át tatae cave [7]) *caédas ambo !* . .

cadas cod. et editt.; *caedas* conj.; *amabo* editt. et Both.; *ambo* cod., recte, ni fallor; accusativus enim casus est, quae res corruptelae causa fuit [8]).

15.

Varro [9]): (Naevius) *in Tarentilla:*

pallucidum,

a luce illustre.

Libri plerique: *in Tarentilla Pacuvii ab luce illustre*, unde vocem *illustre* Pacuvio tribuunt Varronis

1) *s. v. atque pag.* 204 *P.* 137 *L.* 2) *fragm.* 5. *pag.* 136. 3) *s. v. eiei pag.* 213 *P.* 143 *L.* 4) *cf. Westerhov. ad Terent. Andr.* IV. 5. 2; *Kritz ad Sallust. Catil.* I. *init.*; *Beier ad Cicer. de Off.* II. 20. 70.; *Corn. Nep. Eumen.* VIII. 2, *ubi de zeugmate falso cogitat Bremi; Heindorf ad Horat. Satir.* I. 2. 35. 5) *s. v. at at tatae pag.* 213 *P.* 143 *L.* 6) *cf. pag.* 147. 7) *cf. pag.* 148 *not.* 3. 8) *cf. Ramshorn Lat. Gramm. pag.* 73; *Kuehner ad Cicer. Tuscul.* I. 46. 110; *Corte ad Caes. de bell. Gall.* V. 38; *similis pronominis* ἄμφω *apud Graecos declinatio: cf. Apollon. Rhod. Argon.* I. 165. 9) *de ling. Lat. pag.* 386 *Speng.*

praeter Muellerum editores et Both.[1]) male, cum Varro antiqua tantum vocabula, suae aetati inusitata et obscura, enumeret; *Terentilla* Sciopp.; *Pacuvii dum a luce* codd. Goth. Flor. Haun.; *Pacuvius dum a luce* cod. Paris. a; *dictum a luce* conj. Speng.; in emendando loco praeivit Muellerus: (Naevius) *in Tarentilla*:

praelucidum,

ab luce illustre. Scilicet quamvis de ordine, quo Naevianas fabulas recensuerit Varro, haud omnino cum Muellero consentiam[2]), id tamen plane mihi persuasit, non Pacuvii esse fabulam Tarentillam, quem comoediam scripsisse unus Fulgentius[3]) testatur. Itaque corrupta sunt, quae in libris leguntur, ita tamen, ut codicum lectionis ope facile vox Naeviana possit restitui. Quam *praelucidum* fuisse nego; vocabula enim sua aetate abolita Varro recenset. Conjeci *pallucidum* i. e. a luce omnino illustre, a Graeco *πᾶν*.

Testicularia.

Priscianus[4]): *vetustissimi etiam scicidi proferebant*[5]) . . . . . *Naevius in Testicularia:*

immo, quos scicidimus, conscindam atque abjiciam . . .

quos codd. Dresd. Lips. I. Zwicc. II. Erlang. II. Heidelb.; *quo* editt. et Both.; *sciscidérat* Naevium quoque exarasse e verbis Gellii[6]) apparere videtur, quibus, allatis iisdem fere cum Prisciano exemplis, et Attium et Ennium hac forma usos fuisse affirmat. Neque summo Gronovio adversor, in Gellii libris et versum Ennianum et Naevii mentionem excidisse existimanti.

De testiculis exscindendis sermonem esse nemo est quin videat.

Technicus.

Varro[7]): (Naevius) *in Technico*:

confictant

a conficto, convenire dictum.

Technico cod. Flor. editt. Rhol. Venett. I. et II. Ald.

---

1) *fragm. trag. pag.* 143; *fragm. com. pag.* 28. 2) *cf. pag.* 134. 3) *s. v. blaterare pag.* 561 *M.* 391 *G.* 4) *pag.* 491 *Krehl.* 5) *cf. Rudimann. Instit.* I. *pag.* 233 *ed. Lips.* 6) VII. 9. 15 *sqq.* 7) *de ling. Lat. pag.* 386 *Speng.*

Bas. Par. Gryph.; *te cknico* cod. Haun.; *tecnico* cod. Goth.; *etecknio* cod. Par. a.; *in terinio* editt. princ. et Rom. 1474.; *Therimo* cod. Vertr. editt. August. Vertr. Sciopp.; *Thermo* conj. Both.; *conficiant* codd. Flor. Haun. Goth. editt. Rhol. Venett. I. et II. Ald. Bas. Par. Gryph.; *conficant* cod. Turneb.; *conficeant* editt. princ. et Rom. 1474.; *confittitant* cod. Vertran.; *convictitant* conj. Both.; *confictitant* editt. August. Vertr. Sciopp.; *confictant* Turneb. Speng. Muell.; *a confecto* cod. Haun.; *a confuto* editt. princ. et Rom. 1474; *convitant a convito* conj. Scalig.; *e conficto* reliqq.; *convenire* edit. Gryph.; *a convenire conficto* conj. Speng.; *a convicto, convivere* conj. Both.

Tribaselus.

Donatus [1]): nam hunc diem misere nimis cupio, *moriatur scilicet. Et hoc adversus servum debet dicere, ne indecorum adolescentis personae sit, haec ita dixisse, quamvis ejusmodi adolescentes inducant comici, ut Naevius in Tribaselo:*

Deos quaéso ut adimant ét patrem et matrém meos,

adjuvent msc. Boend. et editt. veteres.

Fabulae inscriptionem in *Triphallum* esse mutandam contra omnium librorum auctoritatem statuit Bothius.

Triphallus.

Τριφάλης Aristophanea quaedam fabula inscripta fuit [2]); *Triphallum* etiam Varro composuit in satiris Menippeis [3]).

1.

Gellius [4]): *quamquam ipsum scire de omnibus communiter rebus dicatur vel adversis vel prosperis vel insperatis vel exspectatis. Naevius in Triphallo ita scripsit:*

unquám si quidquam filium rescívero [5])
argéntum amoris caúsa sumse [6]) mútuum,
extémpulo illo té ducam, ubi non déspuas.

1) *ad Terent. Adelph.* IV. 1. 5. 2) *cf. Meineke com. Graec. fragm.* II. *pag.* 1163. 3) *cf. Varro de ling. lat. pag.* 314 *Bip.* 4) II. 19. 5. 5) *cf. fragm. Pacevi.* 6) *cf. de syncope hac Westerhov ad Terent. Adelph.* III. 2. 51; *Orelli ad Horat. Satir.* I. 9. 73; *Lucret.* I. 1104; *Lambin. emend. Tullian. pag.* 576. *ed. Klein.*

Triphallo cod. Gronov. et edit. Ald.; *triphalo* editt. veteres; *ityphallo* conj. Bapt. Pius; *ytiphallo* ed. Junt.; *unquam si quicquam* cod. Vatic. et emend. Carrio [1]; *si unquam* reliqq.; *sid unquam* Both. [2]; *argent'am.* Sciopp.; *argenti* mavult Thys.; *sumse* Sciopp. Fruter. [3]) et Carrio; *sumpsisse* vel *sumsisse* libri; *extempulo* conj. Gronov. codd. vestigia secutus; *extemplo* libri.

De mutuo argento Aristophanem quoque in Triphalete egisse e versu:

ᾔτουν τι τὰς γυναῖκας ἀργυρίδιον [4]).

apparere videtur.

Locum ubi non despuas de Doliolo, loco in urbe sacro, ubi ne despuere quidem licebat [5]), intelligunt Baptista Pius [6]) et Fruterius; Gronovius de pistrino, ubi molenti, propter παυσικάπην [7]) capistrato, despuere non licebat. Vergerius, interpres Gellii Francogallus, ita vertit: *je te ferai mettre en un endroit, où tu ne pourras point cracher,* his additis: *il y a lieu de croire, que le maître, qui parle à son esclave, le menace de le faire attacher au poteau destiné à la fustigation et de le faire serrer le cou, selon la coutume, de manière qu'il lui soit impossible de cracher.* Praefero Gronovii interpretationem [8]).

Tunicularia.

1.

Varro [9]): (Naevius) *in Tunicularia:*

ecbolas quassant,

aulas quae ejiciuntur, a Graeco verbo ἐκβολὴ dictum.

Tunicularia codd. Flor. Haun. Goth. Par. a. Vertr. editt. August. Sciopp.; *trucularia* editt. princ. Rom. 1474. Rhol. Venett. I. et II. Ald. Bas. Paris. Gryph.; *auricularia* cod. vetust. Turnebi; *exbolas quassant, aulas quae ejiciuntur* codd. Flor. Haun. editt. Speng. Muell.; *exbolas aulas quassant, quae ejiciuntur* cod.

1) *antiqq. lectionn.* I. 11. 2) *cf. pag.* 126. *not.* 7. 3) *Verisim.* II. 11. 4) *Meineke l. l. fragm.* 4. 5) *cf. Paul. Diacon. pag.* 69 *Muell.*; *Liv.* V. 40; *Varro de ling. Lat. pag.* 157 *Speng.* 6) *annotatt. posteriorr. c.* 11. 7) *Polluc. Onom.* VII. 4. 8) *cf. Becker's Gallus* I. *pag.* 129. 9) *de ling. Lat. pag.* 387 *Speng.*

Goth.; *exbolas alias quassant quae eijciaintur* cod. Par. a.; *exbaulas quassant eiciuntur* cod. Vertr.; *exbolas quassant ejiciunt* editt. August. Vertr. Sciopp. et Both.[1]); *exbolas et lilas quassant eiciuntur* editt. princ. et Rom. 1474; *exbolas ȧulas quassant eiiciuntur* editt. Rhol. Venett. I et II.; *exbolas aulas quassant eijciunt* editt. Ald. Bas. Par. Gryph.; *ecbolas* scripsi ex emendat. Muell.; *verbo exbole* codd. Flor. Haun. Goth. editt. princ. Rom. 1474. Rhol. Venett. I. et II.; *verbum exbole* cod. Par. a; ἐκβολὴ reliqq. probb. Speng. Muell.; *ictum* editt. princ. Rom. 1474. Rhol. Venett. I. et II. Ald. Bas.; *dictum* reliqq.

Simile vocabulum apud Plautum [2]) invenitur, a Rostio [3]) injuria tanquam monstrosum ejectum. Versus Plautinus facillima curabitur medela, si lectionem editionis Aldinae restituas et hiatum in caesura admissum putes:

ibi te replebo - unguentorum eccheumatis.

Cum in libris Varronianis Pacuvius in Tarentilla [4]) ante Tunicularium citetur, factum est, ut Bothius et Stieglitzius [5]) in errorem inducti, et Tarentillae et Tunicularíae fragmenta a Varrone allegata Pacuvio tribuerent.

2.

Festus [6]): *naucum ait Atejus Philologus poni pro nugis. Cincius [7]) quod oleae nucisque intus est. Aelius Stilo omnium rerum putamen. Glossematorum autem scriptores, fabae grani quod haereat in fabulò. Quidam ex Graeco, quod sit ναὶ καὶ οὐχί, levem hominem significari. Quidam nucis juglandis, quam Verrius jugulandam vocat, medium velut dissepimentum... Naevius in Tunicularia:*

.... ejus nóctem nauco dúcere,

quod in oleae nucis quod intus est cod.; recepi Muelleri emendationem, Hertzio quoque probatam; *juglandam* corr. Ursin. prob. Muell.; *Naevius et in Tunicu-*

1) *fragm. com. pag.* 28. 2) *Poen.* III. 1. 88. 3) *Opuscul. Plaut.* I. *pag.* 144. 4) *cf. Tarentill. fragm.* 15. 5) *de Pacuvii Duloreste pag.* 12. 6) *pag.* 166 *Muell.* 7) *cf. Hertz de Luciis Cinciis pag.* 51.

laria cod.; ejeci *et* cum Muellero; *nauci* emend. Both. Injuria [1]).

3.

Festus [2]): *penem antiqui codam vocabant, a qua antiquitate etiam nunc offa porcina cum cauda in cenis puris offa penita* [3]) *vocatur. Et peniculi, quis calciamenta tergentur* [4]), *quod e codis extremis faciebant antiqui, qui tergent ea. Dictum est forsitan a pendendo. Naevius in Tunicularia:*

Theodótum appellas, qui áras Compitálibus
sedéns in cella círcumtectus tégetibus
Larés ludentes péni pinxit búbulo.

Significat peniculo grandi, id est coda.
tergentur cod.; *terguntur* emend. Ursin.; *extremi* cod.; *extremis* emend. Ursin.; *tergent* cod.; *tergerent* emend. idem probant. Muell.; *dictum* cod.; *dictus* corr. Muell.; *Tunicularia* cod.; *Cunicularia* emendd. August. et Ursin.; *Theodotum* cod.; *Theodorum* conj. Both.; *compellas* cod.; *compella* Scal.; *adpelles* conj. Both.; *appellas* Muell.; *circumtectuas* cod.; *circumtecta* conj. Scal. et Both.; *circumtectus* conj. Muell.

Theodotus ignotus; quae res Bothium non commovere debebat, ut substitueret Theodorum, quanquam Theodori artifices octo vixerint [5]) et Theodororum nomen celebratissimum sit [6]).

Virgo praegnans.

De hujus fabulae auctore diversissimae sunt virorum doctorum sententiae. Quam enim Osannus [7]) Naevio fabulam tribuit, eam Laevio Weichertus [8]), Duentzerus [9]) Livio, Novio denique Bothius [10]) Munkiusque [11]). Falluntur omnes. Sed singulas sententias sub examen vocemus. Igitur Osannus ad comprobandam sententiam suam Priscianum [12]) in auxilium vo-

1) *cf. Moser ad Cicer. Tuscul.* III. 4. 8; *Goerenz et Otto ad Cicer. de Fin.* III. 3. 11. 2) *pag.* 230 *Muell.* 3) *cf. Lindemann ad Plaut. mil. glor.* III. 1. 164. 4) *cf. Rost Opusc. Plaut.* I. *pag.* 229. 5) *cf. Sillig Catalog. Artific. pag.* 439 *sqq.* 6) *cf. Roulez ad Ptolem. Hephaest. pag.* 152. 7) *anal. crit. pag.* 53. 8) *poet. Latin. rel. pag.* 84. 9) *Liv. Andron. fragm. pag.* 86. 10) *fragm. com. pag.* 54. 11) *de fabul. Atellan. pag.* 181. 12) *pag.* 879 *Putsch.*

cat, ubi vulgo legitur: *Naevius in Virgine* praegnante; quamquam, teste Krehlio [1]), optimi quique libri manuscripti Novium, non Naevium auctorem dicunt. Duentzerus autem ad Festum [2]) provocat, male; apud hunc enim haec leguntur: *Livius in Virgo*, ut fabulae inscriptio sit *Virgus*, quam tamen Duentzerus in *Livius in Virgine*, Osannus [3]) in *Livius Lycurgo* mutandam esse censuerunt. Equidem Virgum fabulam Livio tribuendam esse arbitror. Weichertus contra meram conjecturam Cordesii, qui et Gladiolum et Lydium et Virginem Laevio vindicandas esse contenderat, ita tuetur, ut, utrum serio id an lusu fiat, nescias fere. Sed, quamvis nec Livii nec Naevii nec Laevii Virgo praegnans sit, ne Novii quidem ita est, ut Bothius Munkiusque opinati sunt. In hoc autem loco toti versantur virorum doctorum errores. Priscianus enim [4]) Novii disertis verbis affert Virginem; quamquam unicus hic est locus Priscianeus, quo Novianae Virginis mentio fiat. Item Nonius [5]) hujus fabulae fragmentum citat ita, ut et codices et editiones omnes Novium auctorem exhibeant. Praeter duo haec fragmenta unum Bothius, duo Munkius addidit. Falso. Alterum enim, quod Munkius Novio tribuit, illud est, quod e Livii Andronici Virgo et Festus affert et Livio omnino restituendum est; alterum autem a Bothio et Munkio Virgini Novianae adscriptum, neque Novii est neque e fabula ulla, Virgo inscripta. Citatur autem a Prisciano ter [6]) et semel a Diomede [7]), sed ita, ut apud Priscianum Naevii nomen praescriptum sit non addito tamen fabulae indicio, et a Diomede ita inducatur: *Naevius alicubi*. Versus ipse hic est:

an nata est sponsa praegnans? vel ai, vel nega.

quem propter simile argumentum omnes adhuc viri docti Virgini praegnanti adscripserunt, falsissime; est enim omnino Naevii, nescio qua ex fabula depromtus. De sententia autem, quae ei subesse videatur, postea luculentius exponam.

---

1) I. *pag.* 477. 2) *pag.* 174 *Muell.* 3) *in Zeitschr. für Alterthumsk.* 1836. *pag.* 972. 4) *l. l.* 5) *s. v. puriter pag.* 516 *M.* 353 *G.* 6) I. *pag.* 473. 510 *et* 511 *Krehl.* 7) *pag.* 370 *Putsch.*

Fragmenta, quae cui fabulae adscribendae sint, incertum est.

a. *Fragmenta, ut videtur, tragica vel Naeviana vel falso Naevio adscripta.*

Quae falso Naevio adscripta sunt, uncis inclusi. Fragmenta tragica et comica ita confudit Bothius, ut, quocunque loco id factum sit, operae non pretium sit referre.

1.

Varro [1]: *templum tribus modis dicitur, ab natura, ab auspiciendo, ab similitudine . . . . Sic:*

contremuit templum magnum Jovis altisonantis,

id est, ut ait Naevius:

hemisphaérium
ubi cóncha caerula séptum stat . . . .

hiemisferium cod. Haun.; *hyemis ferium* cod. Goth.; *hyemisferum* cod. Par. b.; *hemispherium* cod. Paris. a.; *in hiemisferium* cod. Flor.; *in hemisphaerium* cod. Vertr.; *hemisphaerium* Turneb.; *hemisperium* Sciopp.; *in emisferio* editt. Rhol. Venett. I. et II.; *in esmiferio* editt. princ. et Rom. 1474., *in Hemisphaerio* editt. Ald. Bas. Par. Gryph. August.; *in Hemisperio* edit. Vertr.; *ubi cca cherulo septum stat* (n) cod. Flor.; *ubi cum cacherulo septum stat* cod. Haun.; *ubi cuncha cherulo septum stat* cod. Goth.; *ubi conca cheruleo septum stat* cod. Par. a.; *ubi conchachacherulo sepultum stat* cod. Par. b.; *ubi conca cerulo septum stat* cod. Turneb.; *ubi tetracherino septum stat* cod. Vertr.; *ubi tetracherulo septum stat* editt. princ. Rom. 1474. Rhol. Venett. I et II.; *ubi terra caerulo septum stat* editt. Ald. Bas. Par. Gryph. August. Vertr.; *ubi aethra caerula septam stat* Scalig. prob. Gronov. [2]; *id est hemisphaerium, ubi terra coelo saepto stat, ut ait Naevius* margo Ursin. test. Sciopp.; *ubi conchà caerula septum stat* editt. Turneb. Sciopp. Speng.; *ubi concavo coerulo septum stat* conj. Mueller.

Hemisphaerium terram designare Muellerus putat; immo dimidia ejus pars est, quae caerula concha septa

1) *de ling. Lat. pag.* 288 *Speng.* 2) *ad Pompon. Mel.* V. *pag.* 17 *Tzchucke.*

stare, permanere dicitur. Similis, sed haud elegans, Anaximenis de terra aëri innixa est sententia, qui terrae *ὥσπερ καρδόπῳ πλατείᾳ βάθρον τὸν ἀέρα ὑπερείδει* [1]). Possis etiam mare concham caeruleam dictam esse existimare, quo circumfluente hemisphaerium sepiatur.

Prior versus a Varrone allegatus Ennii est, ut cujus Periboea et Andromache antea laudentur, et qui primus metro heroico usus sit [2]). Lapsus tamen hoc quoque loco Bothius est, qui versum Ennianum pro Naeviano et Naevianum pro explicatione illius versus, a Varrone facta, habet.

(2.)

Versus anapaestici a Varrone [3]) allati ex Accii Philoctete desumti sunt, falso tamen adhuc Naevio tributi. Sunt autem hi:

nemus expirante vapore vides
unde ignis cluet mortalibus divis?

Error inde profectus est, quod cod. Vertr. et editiones fere omnes pro *nemus* exhibent *Naevius*, quamquam in optimis quibusque libris manuscriptis, ut Flor. Haun. Goth. et Par. a et b, *nemus* legitur.

3.

Varro [4]): *apud Naevium:*

eccúm venire vídeo ferme injúria

ferme dicitur quod nunc fere.
ciccum codd. Flor. Haun. Goth. Par. a. editt. princ. Rom. 1474. Rhol. Venett. I. et II. Ald. Bas. Par. Gryph., quae lectio e praecedente versu Plautino fluxit; *cicum* cod. Vertr.; *circum* cod. Par. b, margo Augustin.; *eccum* editt. August. Vertr. Sciopp. Speng. Muell.; *in via* Sciopp.; *injuria* reliqq.

4 et 5.

Cicero [5]): *nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipsae*

---

1) *verba sunt Platonis Phaed. pag.* 99. *b. ed. Steph.: cf. Wyttenbach ad h. l. pag.* 255 *ed. Lips.* 2) *cf. pag.* 86. 3) *de ling. Lat. pag.* 295 *Speng.* 4) *de ling. Lat. pag.* 369 *Speng.* 5) *Orat.* XLV. 152.

horridulae Catonis, indicant omnes poetae praeter eos, qui, ut versum facerent, saepe hiabant; ut Naevius:

vos qui-accolitis Histrum fluvium atque álgidam

et ibidem:

quam núsquam vobis Grájí - atque bárbari,

praeter eos, qui tanquam nobis greci atque barbari ut versum facerent cod. Dresd.; *praeter eos, qui nunquam nobis graeci atque barbari facerent* cod. vetust. Stephani; *qui* omittunt editt. Venet. 1492. Lips. 1515; *fluvium* deest apud Strebaeum; *atque Algidum* conj. Scriver. prob. Both. et Beier. improb. Orellio; *Egidam* cod. Erlang.; *Algidam* Meier., qua in voce nomen proprium latere arbitratur; *atque* ejicere mavult Schuetz.; *algidam* cum. cod. Einsiedl. et editt. aliquot vett. Schneider. [1]) Orell. Goeller, cum sequenti versu *terram* vel *regionem* secutam fuisse verisimillimum sit; versu altero *vobis Graji* codd. Viteberg. Dresd. editt. Gruter. Ernest. Schuetz. Meier. Goeller.; *nobis Grai* editt. Venett. I. et II. Mediol. 1490. Lips. 1515. Junt. Aldinn. Lambin. Orell.

6.

Festus [2]): *Pisatilem appellat Naevius Pantaleontem, id est Pisis oriundum tyrannum, cum alioqui inde profecti Pisani dicantur.*

Pisalitem cod. manifesto errore, quem corrigit Paulus Diaconus, apud quem *Pisatilem* legitur. Mirum me habet Bothius, cum lectionem *Pisalitem* ita tuetur: *Pisa alitem, qui confestim Pisa in Messeniam cum copiis advolasset.*

Muellero, Pisatilis Pantaleontis in carmine de bello Punico mentionem factam esse arbitrato, recte oblocutus est Schuettius [3]). Ad Leontem fabulam Pantaleontem pertinere opinatur Drakenborchius [4]), cujus tamen de Leonte sententia ne temporum quidem rationibus satisfacit [5]). Ut verum fatear, ne tragicum quidem mihi videtur hoc fragmentum, sed comicum, et, si conjicere licet, e Testicularia depromtum. Pantaleontem enim legatos ad se missos virilitate sua pri-

---

1) *Gramm. Lat.* I. *pag.* 146. 2) *pag.* 210 *Muell.* 3) *de Cn. Naevio poeta pag.* 86. 4) *ad Liv.* XXXV. 50. 4. 5) *cf. pag.* 158.

vasse et ut, quae exsecta erant, comederent coegisse narrat Heraclides Ponticus [1]. Sed nihil affirmo. Ceterum in errore versatur Schuettius, si Pantaleontis nomen rarissime occurrere opinatur [2].

7.

Servius [3]: *exstruis a struice. Naevius nominativo singulari:*

struix malorum . . . .

Idem nomen a Livio Andronico usurpatum est [4], nec non a Plauto [5].

8.

Isidorus [6]: *confrages* [7] *loca, in quae undique venti concurrunt ac se frangunt, ut Naevius ait:*

. *in móntes, ubi vénti frangebánt locum*

Locum frangebant fere dictum est ut *clivum* vel *undas* [8] *frangere.*

Versum e Punico bello esse injuria statuit Schuettius [9].

9.

Nonius [10]: *fulgurivit, fulgurem fecit vel fulmine afflavit. Naevius:*

. sane a suo fúlgure claro fúlgurivit Iúppiter.

fulgorivit cod. Leid. et edit. Ald.; *Naevius Sanga: suo* ect. conj. Merula [11], temere [12]; *Naevius Danae* conj. Iun.; *sane a summo* conj. Both.; *Iupiter* cod. Leid prob. Both.

A suo sonitu claro fulgurivit bene sese habet; praepositio enim illa id significat, per quod vel cujus ope aliquid fit, originem et fontem, unde aliquid proficiscitur [13].

---

1) *fragm. de reb. politic.* 6. 2) *cf. Koeler ad Heracl. Pontic. pag.* 46. 3) *ad Virgil. Aen.* IV. 267. 4) *cf. Duentzer Liv. Andron. fragm. pag.* 62. 5) *Menaechm.* I. 1. 26. 6) *Origin.* XIV. 8. 27. 7) *confluges a Livio Andronico loca dicta fuisse, in quae rivi diversi confluant, testatur Nonius pag.* 62 *M.* 44 *G.* 8) *cf. Corte ad Lucan.* I. 371. VIII. 374. 9) *l. l. pag.* 75; *cf. supra pag.* 85. 10) *s. v. fulgurivit pag.* 110 *M.* 76 *G.* 11) *ad Ennii fragm. pag.* 45. 12) *cf. pag.* 5. 13) *cf. Stallbaum ad Rudimann. Instit.* II. *pag.* 212.

(10.)

Versus, quos affert Nonius[1]: *hippocampi, equi marini a flexu caudarum, quae piscosae sunt. Laevius Sirene:*

óciter
Délphino cinctis vehiclis híppocampisque ásperis

falso in editionibus Naevio adscribuntur, cum Laevii sint. *Naevius: si renocitur* Merc.; *Naevius Sirene: itur* conj. Iun.; *Naeusus Sireno: citer* codd., ut videtur, Gerl. praeter cod. Leid., qui *Naeusus Sireno: cicer* exhibet; *Naevius: Sirenes citis delphino junctis* conj. Scal.[2]); *Naevius: si irem ociter* conj. Both.[3]) qui in scenicorum Latinorum fragmentis versus recte omiserat; *Paevius Sirene: ociter* ipse conj.

Scriverius fragmentum hoc e Livii Andronici Aegistho desumtum esse cum Scaligero arbitratur. Equidem cum Hermanno[4]) et Weicherto[5]) Sirenem Laevio vindicandam censeo, e qua hoc quoque fragmentum, ab utroque neglectum, depromtum esse conjicio.

11.

Hieronymus[6]): *Naevius poëta:*

pati necesse est múlta mortalém mala

Versus tragicus esse videtur; quamquam similis sententia apud Philemonem etiam comicum invenitur[7]).

---

b. *Fragmenta, ut videtur, comica.*

1.

Varro[8]): *in circo primum unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres; Naevius oppidum apellat. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant antequam magistratus signum misit. Quod a Murcis*

---

1) *pag.* 120 *M.* 82 *G.* 2) *ad Varron. de ling. Lat. pag.* 55 *ed. Bip.* 3) *in Museo Rhen.* V. *pag.* 272. 4) *Element. pag.* 619. 5) *poet. Latin. reliq. pag.* 84. 6) *ad Heliodorum epist.* 3, *in epitaphio Nepotiani, Tom.* I. *pag.* 23 *ed. Paris.* 1693. 7) *apud Stob. Flor.* XCVIII. 5; *cf. Meineke comic. Graec. fragm.* IV. *pag.* 50, *Nro.* XLV. 8) *de ling. Lat. pag.* 153 *Speng.*

parte pinnis turribusque carceres olim fuerunt, scripsit poëta:

dictátor
ubi currum insidit, pervehitur úsque ad oppidum . .

a muris partem codd. omnes et editt. princ. Rom. 1474. Rhol. Venett. I et II.; *a muris patrem* editt. Ald. Bas. Par. Gryph.; *a muris parte* Sciopp; *a muri parte* editt. August. Vertr. Speng.; *a Murcis parte* conj. Ursin. in margin. Sciopp., probante Beckero [1]; *a Murciae parte* conj. Salmas. [2]; *a murtis patre* Bapt. Pius; *ad muri speciem* conj. Mueller; *scripsit poëta* codd. omnes praeter cod. Vertr. et editt. omnes praeter August. et Margin. Vertr., ubi *Ennius* legitur; *dictator* omitt. cod. Par. b.; *pervehi currusque* idem; *pervehitur quod* cod. Par. b; *currus* cod. Goth.; *circum* cod. Vertr.

Editionem Augustini secutus Columna [3]) Ennio hunc versum tribuit, sequente his ipsis temporibus Koenio [4]), qui, ut longus evaderet versus, ita verba transposuit:

dictator, ubi currum insidit, ad oppidum usque
pervehitur,

male et castigante Beckero [5]). Naeviano de bello Punico carmini versus vindicarunt: dubitanter Hermannus [6]), qui ita versus, ut Saturnii evaderent, disposuit:

. . . . . dictatór ubi currum insídit
pervéhitur usque ad óppidum . . . . . .

sequente Beckero; Muellerus:

dictator
ubi currum insidit, pervehitur usque ad oppidum,

acclamante Schuettio [7]). Iusto tamen magis temerarius est Frankius [8]), qui versus, hoc metro inclusos Saturnio:

dictator ubi currum insidit pervehitur usque
ad oppidum

1) *de Romae veteris muris atque portis pag.* 82. 2) *ad Solin. pag.* 407. 3) *ad Ennii fragm. pag.* 149. 4) *In Zeitschrift für Alterthumskunde* 1841 *pag.* 1291. 5) *l. l. not.* 6) *Element. pag.* 637. 7) *de Cn. Naevio poeta pag.* 85. 8) *in Blumii Einleitung in Roms alte Geschichte pag.* 55 *sqq.*

contra superbam Claudiorum gentem scriptos fuisse affirmat, ita tamen, ut, quaecunque exponit et disputat, meris conjecturis nitantur. De Claudio enim Glicia, vilissimo homunculo, versus intellectos vult, qui cum a magistratu suo mox abdicare sese cogeretur, inani tamen ambitione ductus praetextatus in ludis Circensibus emittendis quadrigis signum dederit. At, quaeso, quis unquam e simplicissimis verbis Naevianis haec eruere possit, non longe solum petita, sed ab omni verisimilitudinis specie abhorrentia? Praeterea in carmine de Punico bello neminem Romanorum carpsisse Naevium arbitror, cum carmen illud in ultimo senectutis gradu conscriptum res levissimas ante triginta fere annos factas repetiisse vix credibile sit. Neque locus erat, credo, maledicendo satis aptus in carmine hoc epico.

Metrum jambicum est.

2.

Varro [1]): *sponsus, consponsus. Hoc Naevius significat, cum ait:*

consponsi

consponsis editt. Vertr. Sciopp. Confuderunt hoc fragmentum cum alio [2]) editores.

3.

Varro [3]): *praefica dicta, ut Aurelius scribit, mulier ab luctu, quae conduceretur, quae ante domum mortui laudes ejus caneret* [4]). *Hoc factitatum Aristoteles scribit in libro, qui inscribitur νόμιμα βαρβαρικά. Quibus testimonium est quod fretum est Naevii:*

háec quidem hercle, opínor,
práefica est, nam mórtuum collaúdat . . . .

fretum est Naevii codd. Flor. Haun. Goth. Par. a et b. editt. Ald. Bas. Par. Gryph. August. Speng.,; *Fretum Naevii* editt. Vertr. Sciopp.; *quod fertum est Naevii* cod. Vertr.; *quod fretum est Naevius* editt.

1) *de ling. Lat. pag.* 247 *Speng.* 2) *cf. fragm. Romul.* 3. 3) *de ling. Lat. pag.* 351 *Speng.* 4) *cf. Becker's Gallus* II. *pag.* 284; *Ulrici Charakteristik der antiken Historiographie pag.* 99 *not.*

princ. Rom. 1474. Rhol. Venett. I et II.; *Quadrigemi-nis Naevii* conj. Muell.; *haec quidem* codd. Flor. Haun. Pariss. a et b. Goth. editt. Ald. Bas. Par. Gryph. August. Vertr. Sciopp.; *hoc quidem* cod. Vertr. editt. princ. Rom. 1474. Rhol. Venett. I. et II; *pro praefica* cod. Vertr. editt. princ et Rom. 1474; *proprefica* cod. Goth.; *num motuum* cod. Par. b.; *nam mortuum* codd. Flor. Haun. Goth.; *nam mortuos* reliqq.; *conlaudat* editt. August. Vertr. Sciopp. Durior est versus a Bothio ita constitutus:

haec quidem hercle, opinor, praefica est; nam mortuum collaudat.

Idem versus Naevianus a Paulo Diacono [1]) citatur, diversis tamen vocabulis nonnullis: *praeficae dicuntur mulieres ad lamentandum conductae, quae dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum praefectae. Naevius:*

haec quidem, mehercle, opinor,
praefica est, quae sic mortuum collaudat ....

4.

Paulus Diaconus [2]): *aleonem, aleatorem. Naevius:*

péssimorum péssime, audax, gáneo, lustro, áleo [3])

lustro cod. Monac. Augustin. Scalig. Muell.; *lurco* cod. Guelferb. Quamquam in Glossario Forneriano suo haec legi affirmat Merula [4]): *endocoepta, ἐγχειρήματα. Naevius: Lurco, lurco, aleo, endocoepta per te temeriter face missa, tu cave sis,* quae verba ita emendat, ut, acclamante Duentzero [5]), Lycurgi fabulam versibus, si Diis placet, fictis et suppositis [6]), ditet: *Naevius Lycurgo:*

lurco, áleo,
éndocoepta pér te temeritér face missa, tú cave sis.

Sed neque omnino Merulae fides habenda, neque emendatio hujus loci pro felici habenda est. Lycurgum enim Naevii non comicam, ut Duentzerus opinatur, sed tragicam fabulam fuisse demonstrasse nobis

1) *pag.* 223 *Muell.* 2) *pag.* 29 *Muell.* 3) *cf. Catull.* XXIX. 2. CXV. 7. 4) *ad Ennii fragm, pag.* 192. 5) *in Museo Rhenano* V. *pag.* 439. 6) *cf. pag.* 35. 115 *et* 118.

videmur. [1]) Verba autem a Merula allata comica sunt, itaque ad Lycurgum non pertinent. Quamquam, ut dixi, de ipsa eorum fide dubito.

5.

Paulus Diaconus [2]): *apluda est genus minutissimae paleae frumenti sive panici* [3]), *de qua Naevius:*

non hércle apluda est hódie quam tu néquior.

6.

Paulus Diaconus [4]): *bilbit factum est a similitudine sonitus, qui fit in vase. Naevius:*

. ! . . . . ' . *bilbit ámphora*

inquit.

Ita recte editores ante Muellerum, qui tamen verba Naeviana *bilbit amphora inquit* fuisse statuit, ut ipsa amphora *bilbit* dicat, quemadmodum tuba apud Ennium [5]) *taratantara* vel apud poetam recentiorem [6]) unda sonans *glut glut.* Nam *sin Verrii*, inquit, *opinio ea fuisset, ut bilbere verbum a Naevio positum putaret, ipsum b i l b e r e, non b i l b i t ei articulo praescripsisset.* Sed falsum esse Muellerum docebit te Andhelmus grammaticus [7]), qui, ubi de vocibus et animalium et aliis exponit, ita pergit: *aes tinnit; amphora profusa bilibit.*

7.

Paulus Diaconus [8]):

butubatta

Naevius pro nugatoriis posuit, hoc est, nullius dignationis.

butubatta optimi quique codd.; *buttubata* editt. inde ab Augustin. praet. Lindem. et Muell.; *burrubatta* a burris, quae nugae sunt apud Ausonium, conj. Doederlin. [9]) Sed tuetur *butubatta* etiam Charisius [10]).

---

1) *cf. pag.* 107 *sqq.* 2) *pag.* 10 *Muell.* 3) *cf. Gellius* XI. 7. 5; *Nonius pag.* 69 *M.* 59 *G.*; *Plin. hist. nat.* XVIII. 23. 4) *pag.* 34 *Muell.* 5) *Annal.* II. 35 *ed. Sp.* 6) *in Anthol. Burm.* II. 405. 7) *apud Meyerum in Antholog. vet. Latin. epigramm. et poemat. annot. ad Tom.* II. *pag.* 48. 8) *pag.* 36 *Muell.* 9) *Synonym.* VI. *pag.* 43. 10) *Institut. pag.* 216 *P.* 144 *L.*

8.

Paulus Diaconus [1]): *cocum et pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus* [2]). *Naevius:*

. cócus edit Neptúnum, Venerem, Cérerem.

Significat per Cererem panem [3]), *per Neptunum pisces, per Venerem olera* [4]).

cocus Lindem. et Muell. ex optimis quibusque codd. [5]); *coquus* editt. post Augustin.

9.

Paulus Diaconus [6]): *concipilasti dictum a Naevio pro corripuisti et involasti* [7]).

10.

Paulus Diaconus [8]): *Liberalia, Liberi festa, quae apud Graecos dicuntur Διονύσια. Naevius:*

Libera linguá loquemur lúdis Liberálibus.

loquemur editt. vetust. et Augustin.; *loquuntur* margo Augustin.; *loquimur* boni codd. Lindem.

Ludi Liberales vel *Liberalia*, quae etiam *Agonia* dicta sunt [9]), a. d. XVI. Cal. April. celebrabantur [10]), tanta cum licentia [11]), ut inde explicanda videatur *libera lingua*. Falsissimus autem est Schuettius [12]), qui ex hoc versu Naeviano concludit, Naevium *nimis libera lingua locutum esse.*

---

1) *pag.* 58 *Muell.* 2) *Pistores enim apud antiquissimos poetas coqui dicebantur, quod ante annum DLXXX u. c. pistores Romae non erant: Osann anal. crit. pag.* 189 *et* 190; *Becker's Gallus* II. *pag.* 132. 3) *Cicer. de nat. Deor.* II. 23. 60; *Westerhov ad Terent. Eun.* IV. 5. 6. 4) *hortos enim in tutela hujus Deae fuisse, et Muellerus ad h. l. docet, et Venus hortorum Sallustianorum apud Orell. Inscript. Latin.* 1369 *et* 1462. 5) *cf. Osann's Beiträge zur Literaturgesch.* II. *pag.* 257. *not.* 62. 6) *pag.* 62 *Mueller.* 7) *cf. Plaut. Trucul.* II. 7. 60; *Doederlein Synonym.* VI. *pag.* 75. 8) *pag.* 116 *Muell.* 9) *Varro de ling. Lat. pag.* 196 *Speng.: Macrob. Saturn.* I. 4. *pag.* 213 *Bip.* 10) *Ovid. Fast.* III. 713; *Kalend. Farnes. apud Orelli Inscript. Latin.* II. *pag.* 380 *et Kalend. Maffaeior.* II. *pag.* 386. 11) *cf. Augustin. de civit. Dei* VII. 21. 12) *de Cn. Naevio poeta pag.* 16.

11.

Festus [1]: *numero* antiqui pro nimium dicebant [2]). *Apud Naevium:*

néminem vidi, qui numero sciret, quod scito ést opus

i. e. nimium sciret. [3])
quique scit i. e. opus cod.; dedi versum ex emendatione Scaligeri, Lindemanno etiam, Muellero et Rostio probata; *qui scitod opus'st* Both.

Simillimus est versus Turpilii [4]), quem advocavit Scaliger:

nunquam nimis numero quemquam vidi facere, quod
facto est opus.

12.

Festus [5]): *petimina in humeris jumentorum ulcera... Eo nomine autem, et inter duos armos suis quod est aut pectus, solitum appellari, testatur Naevius in descriptione suillae, cum ait:*

. .' *petimine pisinno qui méruerat*

piscino cod.; *porcino* conj. Dalecamp. [6]) prob. Both. Codicis lectionem tuetur Scaliger, qui de thynni petimine cogitat et miratur Festum de suilla explicantem. At neutrum ferri potest. Conjeci *pisinno*, quo vocabulo Labeonem in Iliade sua e Graeco in Latinam linguam conversa usum esse testatur Scholiastes Persii [7]):

crudum manduces Priamum Priamique pisinnos.

An Martialis quoque hanc vocem adhibuerit, subdubium est propter nimiam lectionum varietatem [8]).

Supplendum fortasse *donari;* nam verbum, quod aut praecessit aut secutum est, desideratur.

13.

Fragmentum a Festo alio loco [9]) servatum, Demetrio fabulae vindicavimus. [10])

---

1) *pag.* 170 *Muell.* 2) *cf. Rost opusc. Plaut.* I. *pag.* 187 *sqq.* 3) *aliter Rost l. l. pag.* 197. 4) *Demetr.* 6. *pag.* 80 *Both.* 5) *pag.* 209 *Muell.* 6) *ad Plin. hist. nat.* II. 37. 7) *apud Passow ad Persium pag.* 245. 8) XI. 72. 1. 9) *pag.* 217 *Muell.* 10) *pag.* 150.

14.

Paulus Diaconus [1]: *partus et pro nascendo ponitur et pro parato. Naevius:*

. . . . . male parta
male dilabuntur . . . .

Naevius codd. omnes; *Ennius* margo edit. August. Male. Nam, qui locus omnes fugit viros doctos, Cicero [2]) etiam hujus proverbii [3]) ita meminit, ut, apud quem poetam legatur, nescire se confiteatur: *sed*, inquit, *ut est apud poetam nescio quem, male parta male dilabuntur.* At, si Ennii versus esset, meminisset, credo, Cicero. Nos: *wie gewonnen so zerronnen.*

15.

Festus [4]):

penitam offam

Naevius appellat absegmen carnis cum cauda [5]); *antiqui autem offam vocabant abscisum globi forma, ut manu glomeratam pultem.*

Neglexerunt hoc fragmentum viri docti omnes.

16.

Festus [6]): *rutabulum est, quo rustici in proruendo igne panis coquendi gratia utuntur . . . . . . Naevius, obscoenam viri partem describens:*

vél quae sperat sése nupturám viros adoléscéntulos,
éa licet senile tractet rétritum rutábulum.

Navius cod.; *Naevius* conj. August.; *Novius* margo edit. August., probante, ut videtur, Schobero [7]), male, cum praecedat *Novius in Pico; se nupturam viri adolescentulos* cod.; *se nupturam vix viro adolescentulo* conj. Lind.; *se nuptum datam viro adolescentulo* conj. Muell.; *se nupturam iri adolescentulo* edit. August.; *se nupturam viro adolescentulo* conj. August. et Ursin.

Totam rem pervertit Bothii emendatio:

vel quae desperat nupturam se viro adolescentulo.

1) *pag.* 222 *Muell.* 2) *Philipp.* II. 27. 65. 3) *cf. Plaut. Poen.* IV. 2. 22. 4) *pag.* 242 *Muell.* 5) *cf. fragm. Tunicul.* 3. 6) *pag.* 262 *Muell.* 7) *Die Atellanischen Schauspiele der Roemer pag.* 28.

Agnosco enim in versibus Naevianis luculentissimam Aristophanis imitationem, qui, cum in Ecclesiazusis communes omnes civium res, tum praecipue feminas fecisset, eam legem proposuit, ut, ne injuria fieret senibus et vetulis, quicunque virgine aut quaecunque adolescente frui vellent, ii antea cum vetula aut sene concumberent. Versus praecipue huc pertinentes hi sunt [1]:

ἔδοξε ταῖς γυναιξὶν, ἢν ἀνὴρ νέος
νέας ἐπιθυμῇ, μὴ σποδεῖν αὐτὴν, πρὶν ἂν
τὴν γραῦν προκρούσῃ πρῶτον.

Itaque falluntur, qui Naevium novam tantum Graecorum comoediam imitatum esse arbitrantur. [2]

In verbis autem ipsis Naevianis vox *nubere* et cum accusativo conjuncta [3] et obscoeno sensu accipienda est [4] ut sententia haec sit: quae sperat concumbere cum adolescente, ea antea cum sene concumbat.

17.

Festus [5]: *sonticum morbum in XII. significare ait Aelius Stilo certum cum justa causa* [6], *quem nonnulli putant esse, qui noceat, quod sontes significat nocentes. Naevius ait:*

sonticam causam esse oportet, quam ob rem perdas mulierem.

Sonticus morbus dicitur etiam *comitialis* [7]; postea tamen eadem, quae hoc in loco Naeviano, significatione *sontica causa* dicta est *causa satis justa.* [8]

Versus Naevianus legitur etiam in excerptis Pauli. [9]

18.

Festus [10]: *summussi dicebantur murmuratores. Naevius:*

odi summussos. Proinde aperte dice, quid sit quod times.

Verba duo ultima desiderantur apud Paulum [11]; *quid*

---

1) *v.* 1015 *Ddf.*; *eadem sententia legitur v.* 628. 2) *cf. Stolle de comoediae Graecae generibus pag.* 79. 3) *cf. Priscian.* I. *pag.* 365 *Krehl.* 4) *cf. Plaut. Cistell.* I. 1. 43 *et* 45. 5) *pag.* 290 *Muell.* 6) *cf. Dirksen Uebersicht der XII. Tafel-Gesetze pag.* 192; *Gellius* XX. 1. 27. 7) *Goettling's Roem. Staatsverf. pag.* 397. 8) *Digest.* XLII. 1. 9) *pag.* 291 *Muell.* 10) *pag.* 298 *Muell.* 11) *pag.* 299 *Muell.*

sit . . . times cod.; *quod* addit Ursinus; *dice aperte* Scalig.; *proin* conj. Both., male, cum *proinde* bisyllabum sit [1]).

(19.)

Fragmentum, quod e *Nelei carmine* Festus [2]) affert, non Naevii est, cui cave omnino ne, *Neleum*, ut Bothio placuit, in *Naevium* mutando, Nelei illud carmen attribuas [3]).

20.

Paulus Diaconus [4]): *sandaraca, genus coloris. Naevius:*

merula sandaracino ore.

Idem legebatur in fragmentis Festi [5]). *Sanderaca* Festus, male [6]).

21.

Festus [7]): *antiqui tam etiam pro tamen usi sunt* [8]), *ut Naevius:*

quid? si taceat, dúm videat, tam etiám sciat
quid scriptum sit?

Naevius cod. et marg. August.; *Novius* edit. August. prob. Both. [9]) improbant. tamen Munkio [10]); *qui si* conj. Ursin. et est in editt. probb. Both. et Munkio; *quid si* cod. *Nam* non liquescere putat Muellerus, ut senarius integer prior versus sit.

Nihil mutandum. Versus enim Naevianus e Cratini imitatione fluxit. Hic enim in *Νόμοις* [11]):

ἀλλὰ μὰ Δί' οὐκ οἶδ' ἔγωγε γράμματ' οὐδ' ἐπίσταμαι·
ἀλλ' ἀπὸ γλώσσης φράσω σοι· μνημονεύω γὰρ καλῶς,

---

1) *Brix de Plauti et Terentii prosodia pag.* 22. 2) *pag.* 317 *Muell.* 3) *cf. Mueller ad Festum pag.* 388; *Schuette de Cn. Naevio pag.* 39. 4) *pag.* 324 *Muell.* 5) *pag.* 325 *Muell.* 6) *cf. Salmas. exercit. Plinian. pag.* 811; *Castelli lexicon medicum pag.* 771 *edit. Norimb.* 1688; *Vitruv.* VII. 12. 7) *pag.* 360 *Muell.* 8) *ea causa est, cur tamen apud Plautum nonnunquam monosyllabum sit: Lindemann ad Captiv.* IV. 8. 45; *nisi tam restituendum est.* 9) *fragm. com. pag.* 56. 10) *de fabul. Atell. pag.* 183 *not.* 219. 11) *Meineke com. Graec. fragm.* II. *pag.* 88.

quos versus ita interpretatur Bergkius [1]: *videtur*, inquit, *Cratinus duos homines in scenam induxisse, alterum antiquitatis tenacissimum, novitiis alterum moribus imbutum: et ille quidem, qui nondum a patrum virtute desciverat, minus quidem liberaliter erat institutus, at mente leges tenebat et in vita agenda exsequebatur: alter artibus et literis excultus, juris quoque scientiam sibi comparaverat et in forensibus causis satis erat versatus.* Addo de Naevianis versibus: praedicaverat aliquis de amico suo, hunc leges memoria optime tenere, quod cum, qui aderant, credi posse negarent, quid? ait, si taceat alter (qui tabulam tenebat, et quem, cum illo legum perito collocutum, illi signis vel nutibus leges in memoriam revocare putabant) usque dum alter tantum legem, quam mox recitabit, secum consideraverit (id enim est, *si taceat dum videat* [2]); quid? si nihilominus sciat, quid scriptum sit?

Similis etiam est locus Philyllii comici. [3])

22.

Asconius [4]): *antiquum Naevii est:*

fató Metelli Rómae fiunt cónsules,

cui tunc Metellus Consul iratus responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius vocatur:

dabúnt malum Metélli Náevio poëtae,

de qua parodia subtiliter dixit Cicero: t e n o n f a t o, u t c e t e r o s e v e s t r a f a m i l i a.

Versum Naevianum pro saturnio habuerunt viri docti omnes, quamvis et optimus sit senarius et ab Asconio alter tantum Metelli versus saturnius dicatur, et a grammaticis [5]), qui de saturnio metro scripserunt, Metelli solum versus pro exemplo adhibeatur. Sed de his supra exposui [6]). Iusto tamen magis temerarius est Schuettius [7]), qui, ut Saturnium versum efficeret, ita mutavit:

fato Romae fiunt Consules Metelli

Versus non ad Punicum bellum, sed ad fabulam pertinet anno DXXXXVIII. p. u. c. editam [8]).

---

1) *comment. de reliquiis com. Attic. antiq. pag.* 139. 2) *cf. Beier ad Cicer. de Off.* I. 18. 59. 3) *cf. Meineke l. l.* II. *pag.* 862. 4) *ad Cicer. Verrin.* I. 10. 29. 5) *cf. pag.* 15. *not.* 5. 6) *pag.* 18. 7) *de Cn. Naev. poet. pag.* 17. 8) *cf. pag.* 18.

23.

Gellius[1]: *nos satis habebimus, quod ex historia est, id dicere: Scipionem istum, verone an falso incertum, fama tamen, cum esset adolescens, haud sincera fuisse, et propemodum constitisse, hosce versus a Cn. Naevio poëta in eum scriptos esse:*

etiám qui res magnás manu saepe géssit glóriose,
cujus fácta viva núnc vigent qui apud géntes solus práestat,
eum súus pater cum pállio-ab amíca abduxit úno.

manu deest in cod. Guelferb.; *cujus facta est viva nunc* idem; *deduxit* msc. Thys.; *una* editt. ante Iunt.; *amico* cod. Guelf.; *uno ab amico abduxit* codd. et editt.; transposui verba metri causa.

Versus tetrametri jambici catalecti sunt, in quibus *manu* [2]), *cujus*, *eum*, *suus* [3]) monosyllaba sunt. Trochaicos versus dicit Duentzerus [4]); Saturnios, ita tamen, ut multa et mutarent et transponerent, inde fecerunt Hermannus [5]), Osannus [6]), Bothius [7]). Falso. Versus enim e comoedia aliqua sunt, ut ille in Metellos scriptus, ut de Saturnio metro ne cogitari quidem debeat. Nam Weisius, qui in Plautinis etiam comoediis Saturnios multos invenisse sibi videbatur, diu explosus est.

Gellii verba: *propemodum constitisse — scriptos esse* cave ita intelligas, ut incertum fuisse dicat, sintne illi versus a Naevio conscripti nec ne; hoc potius significant, omnes fere, quamvis nomen, ut in versu illo, quo Metellos perstrinxit, Scipionis non additum sit, minime tamen dubitasse, quin in eum versus Naeviani conscripti essent. Accuratius de hoc loco supra exposui [8]).

24.

Festus [9]): *tintinnare est apud Naevium hoc modo:*

tantum ibi molae crepitúm faciebant, tintinnabant cómpedes,

---

1) VI. 8. 5. 2) *cf. Becker de com. Rom. fab. pag.* 10; *Duentzer et Lersch de versu, quem vocant, Saturnio pag.* 32. 3) *Ritter Element. gramm. Lat. pag.* 116. 4) *l. l. pag.* 72. 5) *Element. pag.* 638. 6) *anal. crit. pag.* 145. 7) *fragm. trag. pag.* 94; *fragm. com. pag.* 24. 8) *pag.* 15 *sqq.* 9) *pag.* 364 *Muell.*

ibi molle edit. August. et quae eam sequuntur ducem; *ibi mollem* margo August.

Bothius, metrum false pro trochaico habens, *tantum* ejicit, in quo verbo fabulae nomen latere putat.

Paulus Diaconus eodem loco[1]: *tintinnire et tintinnabant Naevius dixit pro sonitu tintinnabuli,* e quibus verbis cave concludas, duplex citari fragmentum Naevianum.

25.

Priscianus [2]) et Diomedes [3]):

an náta est sponsa praégnans? vel ai, vél nega . . . .

Versus Naevianus est, falso a viris doctis Novio adscriptus, quemadmodum supra docuimus [4]).

Quae hujus versus sententia sit, e fragmento Afranii [5]) apparet;

ferme virgini
excrescit uterus, tanquam gravidae mulieri;
molucrum vocatur; transit sine doloribus,

quibus verbis explicandis haec addit Festus [6]): *molucrum, tumor ventris, qui etiam virginibus incidere solet.* Erat igitur sponsa haec Naeviana molucro praedita.

Ajo est nostrum: *ja sagen* [7]).

(26.)

Aliud tamen fragmentum, quod apud eundem Priscianum [8]) legitur:

sallliturus istaec mittam salem,

apud Bothium Naevio adscriptum, Novio omnino vindicandum est [9]).

27.

Isidorus [10]): *praepositionem inter pro e ponebant antiqui. Naevius:*

mare interbibere . . . .

---

1) *pag.* 365 *Muell.* 2) I. *pag.* 473 *et* 510 *et* 511 *Krehl.* 3) *pag.* 370 *Putsche.* 4) *pag.* 181. 5) *Virgin. fragm.* 3 *Neuk. pag.* 261. 6) *pag.* 141 *Mueller*; *eadem leguntur apud Paulum pag.* 140. 7) *cf. Doederlein Synon.* IV. *pag.* 7; *Goeller ad Cicer. Orat. pag.* 417. 8) I. *pag.* 514 *Krehl.* 9) *cf. Munk de fab. Atell. pag.* 183 *not.* 220. 10) *Origin.* V. 26. 17.

Verba fragmentis carminis de bello Punico addit Schuettius [1]), nec non subsequens fragmentum ex hoc carmine desumptum esse putat. Quamquam, quo loco ea posita fuerint, et quid in carmine epico sibi velint versus socco incedentes, nescio.

28.

Isidorus [2]): *bovem Graeci βοῦν dicunt. Hunc Latini trionem vocant, eo quod terram terat, quasi terionem:*

. . . . . trionum hic moderator rusticus.

(29.)

Falso etiam Naevio tributus est versus, quem citat Diomedes [3]): *Saturnium in honorem Dei Naevius invenit, addita una syllaba ad jambicum versum sic:*

summas opes qui regum regias refregit.

Versum non esse Naevianum ex Atilio Fortunatiano [4]) apparet: *hic versus* (sc. Saturnius) *obscurus quibusdam videtur, quia passim et sine cura eo homines utebantur; maxime tamen triumphaturi in Capitolio tabulas hujusmodi versibus incidebant, id est sic:*

summas opes qui regum regias refregit.

Est igitur e tabula quadam triumphali.

30.

Nonius [5]): *collus masculini. Naevius:*

cor utrum scapulae plusne an collus callum habeat, nescio.

Naevius Cor: *utrum* Gerl.; *Naevius Colace: utrum* conj. Jun. prob. Hermann.; *Naevius: corii utrum* conj. Both., haud male; *plus* codd. et editt.; *plusne* conj., ut se nescire fateatur, utrum cor in homine quodam ferreo an scapulae et collum callosiora sint.

In *utrum — ne — an* saepe offenderunt viri docti [6]), quae causa fuisse videtur, cur *ne* exulare juberent librarii.

---

1) *de Cn. Naevio poeta pag.* 86. 2) *Origin.* XII. 1. 30. 3) *pag.* 512 *Putsch.* 495 *Goisf.* 4) *pag.* 2698 *P.* 351 *G.* 5) *s. v. collus pag.* 200 *M.* 136 *G.* 6) *cf. Ramshorn Gramm. Lat. pag.* 716; *Moser ad Cicer. Tuscul.* IV. 4. 9; IV. 27. 59; *adde: Cicer. de Fin.* II. 19. 60; *Terent. Andr.* III. 4. 19.

31.

Nonius [1]): *fretus masculini. Naevius:*

dubii faventem per fretum introcurrimus.

Novius: dubiis edit. Ald.

32.

Nonius [2]): *guttur masculino. Naevius:*

ingurgitavit usque ad imum gutturem,

ingurgitavit se conj. Both.

(33.)

Versus a Nonio [3]) alio loco servatos et ita in libris inscriptos *Naevius in carmine:*

corpore pectoreque
undique obeso ac mente exsensa,
tardingenulo senio oppressum,

a Scaligero, Scriverio, Bothio, Duentzero [4]), Gerlachio huic poetae vindicatos ab eo alienissimos esse et ad Laevii Erotopaegnion carmen pertinere, itaque *Laevius in carmine* corrigendum esse, evicerunt Osannus [5]), Hermannus [6]) et Weichertus [7]). *Laevius Alcestide* e Gellio [8]) conjecerat Mercerius [9]); nihil paene refert, cum Alcestis quoque ad mixtum illud carmen Laevianum pertineat et versus illi vere ex Alcestide depromti sint.

34.

Tortellius [10]): *sycos cum y Graeco et c exili scribitur; vocabulum est Graecum, id significans, quod ficum dicimus, et a nonnullis a poetis nostris antiquissimis, teste Parthenio, usitatum fuit, et Naevium rettulit dicentem:*

. . . hodie sycos mihi recens fuit.

Nescio, cur veteres poetae Romani hac Graeca voce usi sint, nisi ambiguam ejus significationem esse

---

1) *s. v. fretum pag.* 205 *M.* 139 *G.* 2) *s. v. guttur pag.* 207 *M.* 140 *G.* 3) *s. v. obesum pag.* 361 *M.* 246 *G.* 4) *Liv. Andr. fragm. pag.* 68. 5) *anal. crit. pag.* 8. 6) *ad Eurip. Alcest. pag.* XVIII. 7) *Poet. Lat. reliq. pag.* 55 *sqq.* 8) XIX. 7. 2. 9) *ad Nonium pag.* 750. 10) *apud Osannum: Praefat. ad Apulej. Minutian. Orthogr. pag.* XIX. *not.* 3.

voluerunt, ut σῦκος de membro etiam muliebre intelligi posset [1]).

Deest fragmentum apud omnes editores.

Epigramma in sepulcrum Naevii, ab ipso compositum.

Gellius [2]): *epigramma Naevii plenum superbiae Campanae* [3]); *quod testimonium esse justum potuisset, nisi ab ipso dictum esset:*

mortáles immortáles flére si forét fas,
flerént divae Camoénae Naévium poëtam;
itáque postquam est Orcino tráditus thesauro,
oblíti sunt Romai loquiér Latina língua.

immortales mortales editt. ante Carrion.; *mortalis immortalis* Burmann. [4]); *ita qui* conj. Acidal.; *orchio* codd. Carr. Rottend. et editt. vett.; *orcho* cod. regius et Sciopp.; *orci traditus thesauri* cod. Buslid.; *orchino traditus thesauro* Steph.; *orcivo* conj. Voss. [5]); *oblitae* conj. Gronov.; *loquier Latina lingua* codd. reg. Rottend. Lincoln.; *lingua Latina loquier* Carrio et editt. vett.; *loquei* conj. Acidal.

Longum est, recentiorum editorum conjecturas et emendationes, quibus opus non est, memorare. Metrum Saturnium est satis bonum. In eo emendando laborarunt Hermannus [6]), Bothius [7]), Grotefendus [9]), Osannus [9]) et Grauertus [10]); Duentzerum enim non moror.

Thesaurus Orcinus aut ipsum sepulcrum [11]) aut inferi [12]).

---

1) *cf. Aristoph. Pac.* 1324 *Ddf.; Scholiast. ad Theocrit.* V. 115; *Lozynski ad Hermipp. fragm. pag.* 131; *eadem est ambiguitas in verbis συκάζειν et συκοφαντεῖν: Meineke com. Graec. fragm.* II. *pag.* 765. 2) I. 24. 2. 3) *cf. pag.* 5. 4) *Anthol. Latin.* II. 219. 5) *ad Pacuv. fragm. pag.* 121. 7) *Element. pag.* 638; *sequitur eum Meyer in Anthol. Latin.* I. *pag.* 5. 7) *fragm. trag. pag.* 82. 8) *Lat. Gramm. pag.* 102. 9) *anal. crit. pag.* 37. 10) *Nachschrift zu Koene's Sprache der Roem. Epiker pag.* 266 *not.* 11) *cf. Gronov. ad Gell. l. l.* 12) *Kirchmann. de funerib. pag.* 389; *Varro apud Gell.* II. 10. 3; *Bothe ad Ennii Iphig. fragm.* 8.

Liber tertius.

De poësi Naeviana.

Jam aggredior rem omnium difficillimam. Naevianae enim poësis ratio exponenda est, qua in re de plurimis nihil, de multis conjecturae tantum, de paucis certum quoddam afferri potest. Nullum enim nobis temporum injuria reliquit carmen Naevianum integrum. Atque si e fragmentis solis judicandum est, qualis ipsa poësis fuerit, qualis et quantus poëta, vix dici potest, quam diversa sint diversorum hominum judicia. Cum enim Henricus Stieglitz [1]) tertiam post Pacuvium et Attium palmam Naevio assignaret, utpote poëtae ingeniosissimo, nuper Theodorus Bergk [2]), vir judicio saepe quam decebat fervidiori, omnem Naevianae poësis laudem evertere conatus est, ita tamen, ut, argumentis usus nullis, tanquam e tripode succideret, quidquid minus placeret. Cavendum igitur est, ne virorum doctorum opinionibus hac quidem in re nimium tribuatur, neve judicio nostro nimis indulgeamus, sed aut argumentis ex Naevianorum carminum reliquiis, aut veterum de Naevio poëta testimoniis utamur, ut quae sola satis luculenta et gravia sint.

Sed alia etiam est res, qua judicium de vetere hoc poëta ferendum impeditum saepe et injustum factum est. Quae enim de Attio et Pacuvio Quinctilianus [3]) annotat, *nitorem et summam in excolendis operibus manum magis temporibus, quam ipsis defuisse videri*, ea magis etiam in Naevium ejusque aequales cadunt, ut vetustissimi quique poëtae non ex aliis poëtis, sed ex suorum temporum indole et ingenio dijudicandi sint. Sed haec in sermonem tantum cadunt, quo utuntur, et in externas res. Ingenio enim tempora anteire debet optimus quisque poëta. Quae cum ita sint, rem meam ita exsequar, ut, quae sermoni Naeviano cum aetate Naevii communia, quae Naevii propria sint, exponam, tum de ingenio poëtae disputem, postremo, quid in quoque carminum genere praestiterit, edoceam.

---

1) *de Pacuv. Duloreст. pag.* 13. 2) *in Zeitschrift für Alterthumsw.* 1842. *pag.* 190 *sqq.* 3) *Instit. orat.* X. 1. 97.

De metris et de sermone Naevii.

Tempora, in quae Naevii vita incidit, ut in fronte hujus libelli exposuimus, gravissima reipublicae Romanae fuerunt. Nam quae sunt insecuta, maxima illa labe laborabant, quod videri, non esse volebant. Haec autem non solum de rebus publicis et de vita privata dicta sunto, sed etiam de sermone, qui luculentissimus ingenii praeco est. Post finitum enim bellum Punicum secundum, cujus exitum ipsis Romanis perniciosum fore Q. Caecilius Metellus vaticinatus erat [1]), omnibus in rebus elegantia quadam et speciosa ostentatione usi sunt Romani, quae Graeciae propria, a Romanis aliena erat. Ut vero ante hujus belli finem decessit Naevius, ita etiam ab insequentium temporum vitiis vacuus et intaminatus est. Ut brevis sim, Romanus poëta, Romani ingenii praeco est. Nam ut rudes et inelegantes, graves tamen et simplices ii, qui ejus aequales sunt, Romani erant, ita etiam poëta antiquus et asper, fortis tamen et luminosus est. Romae enim natus Romanum ingenium non induerat, sed innatum habebat. De simplici autem horum temporum sermone et pronunciatione honorificum exstat Ciceronis [2]) testimonium, quo, tanquam luculentissimum ejus aetatis auctorem, Naevium imprimis effert: *equidem*, Crassus inquit, *cum socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt) sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium* [3]) *videar audire: sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur, ex quo sic locutum esse ejus patrem judico, sic majores, non aspere, ut ille, quem dixi* (Q. Valerius Soranus), *non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter*. Quod autem de imitatione dicit, Romanos inde ab Ennio respicere videtur, quem primum ad Graecarum literarum leges Latinum sermonem revocasse eundemque, quamvis ipse magis quam ii, qui ejus vestigia presserunt, Romanum ingenium tueretur, ea ipsa de causa, nec immerito, Romanos Graecorum nomine salutasse con-

---

1) *Val. Max.* VII. 2. 3. 2) *de Orat.* III. 12. 45. 3) *cf. pag.* 7.

stat [1]). Quantum autem distat Romanum ingenium ab ingenio Graeco! Simulatque igitur ad imitationem Graecorum linguam et literas suas Romani accommodarunt, literae Romanae magis magisque Romanae esse desierunt. Inde sequitur, quod maximi est momenti, novam inde a Naevii morte, post quam Ennius a Catone Romam translatus est, Romae orsam esse et dicendi et carmina componendi rationem. Sed aegre primum suis a literis cessisse Romanos, id testatur, quod ipse etiam Ennius metro Saturnio in componendis tabularum triumphalium inscriptionibus usus est [2]), et in pangendo illo carmine, quo Scipionis res gestas et laudes celebravit, versum trochaicum adhibuit, qui, quemadmodum nuper Koenius [3]) demonstravit, ipsius linguae Romanae numeris accommodatissimus est. Naevii autem versus aut Saturnii sunt, aut jambici aut trochaici, itaque vere Romani. Praeterea vero Creticis etiam, Anapaesticis vel ipsis Choriambicis numeris usus est. Jam vero, cum me inscium fere ad metra Naeviana disputatio tulerit, pauca de his exponam. Versu heroico, ut supra demonstravimus [4]), non usus est Naevius, quod bene perspexerat, puto, Latinae linguae indolem ab his numeris magis abhorrere, quodque versus Saturnius nativus Italorum versus erat, ut qui, e jambis et trochaeis compositus, sponte quasi ad ipsius linguae structuram sese accommodaret. Primus Ennius alienum versum, longum illum, quem dicit, intulit, qui cum politior sine dubio Saturnio illo esset, suos versus tanquam urbanos rusticis, ut ita dicam, illis Naevianis opposuit et, testante Cicerone [5]) Naevium in contemtu habuit: *quid*, ait Cicero, *nostri veteres versus ubi sunt?*

quos olim Fauni vatesque canebant,
cum neque Musarum scopulos quisquam superaret,
nec dicti studiosus erat . . . .
ante hunc.

ait ipse (sc. Ennius) *de se, nec mentitur in gloriando.* Pronomen autem *hunc* demonstrativum est et ipsum Ennium designat, quemadmodum multis verbis exposuit

1) *cf. Festus s. v. sos pag.* 301 *Muell.* 2) *Atil. Fortunatian. pag.* 324 *Gaisf.* 3) *Sprache der Roemischen Epiker. Muenster* 1840. 4) *pag.* 86. 5) *Brut.* XVIII. 71; *cf. fragm. bell. Pun. inc.* 6.

Krausius [1]). Verum enim vero in eo omnes Viri Docti mihi quidem falli videntur, quod *Musarum scopulos* de ipsa vi et indole poëtica intellexerunt. In solos enim numeros invehit, neque immerito, Ennius, et ipsi Musarum scopuli in eo sunt quaerendi, quod magnae molis conatus erat, linguam Latinam dactylico adaptare velle numero. Nam de ingenio Naevii de ejusque poësis gravitate haud inique judicasse Ennium, infra docebitur. Versus igitur Saturnii rudiores erant et inculti atque ab omni Graecâ elegantia alieni, ut cum ipsae carminum hoc metro conscriptorum reliquiae, tum diserta testantur grammaticorum testimonia. Marius enim Victorinus [2]) de Saturnio metro ita disserit: *nostri autem antiqui usi (eo) sunt, ea non observata lege nec uno genere custodito, sed, praeterquam quod durissimos fecerunt, etiam alios longos, alios breviores inseruerunt.* Quid? quod Atilius Fortunatianus [3]) se vix apud Naevium invenire versus dicit, quos pro exemplo ponat. Versus enim Saturnii forma adeo vaga et varia est, cum et multae apud veteres syllabae contrahantur, multae longae corripiantur, breves producantur, vocales ante vocales non liquescant, pro jambis aut trochaeis quavis sede spondei, et, excepto pede ultimo, tribrachi, pro illis anapaesti, pro his dactyli adhibeantur, ut non modo in Naevianorum carminum reliquiis [4]), sed etiam in Livii Odyssea heroicos versus invenisse Viri Docti sibi viderentur. Grammaticos autem istos schematismum, ut ita dicam, sequi ineptissimum, quis est qui nesciat? Quare iniquum mehercle est, propter grammaticorum istorum aut Graeculorum contemtum Naevianos versus despici; nam rudissimis versibus conscripta sunt omnia antiquorum Romanorum carmina, rudissimis ipsae veteres fabulae, si cum aurea aetate eas comparaveris [5]). Quem enim tanquam summum poëtam aequales suspexerunt et qui Naevianos versus adeo viles praedicavit, Ennium dico, is ne ipse quidem sempiterna et intacta gloria fuit, sed Virgilio stercus tantum reliquisse traditur, ex quo ille aurum colligeret [6]), et Horatio [7]) gravitate minor

1) *Roem. Literaturgesch. pag.* 66—74. 2) *pag.* 190 *Gaisf.* 3) *pag.* 323 *Gaisf.* 4) *cf. Bell. Pun. fragm.* I. 4; VI. 2. 5) *Priscian. de vers. com.* II. *pag.* 403 *Krehl; Horat. art. poet.* 262 *ibiq. Acro.* 6) *Donat. vit. Virg.* 18. 7) *Satir.* I. 10. 53.

videtur et ridiculus nonnunquam Gellio [1]). *Nemo* igitur, ut cum Macrobio [2]) loquar, *ex hoc viles putet veteres poëtas, quod versus eorum scabri nobis videntur. Ille enim stilus* Naeviani (Macrob. *Enniani) saeculi auribus solus placebat et diu laboravit aetas secuta, ut magis huic molliori stilo acquiesceretur.* Igitur in id tantum inquirendum est, sitne aequalibus suis rudior Naevius nec ne. At multo iis in ipsis versibus politior est, excepto Plauto, qui tamen Naevium non superat. Luculentissima hujus rei documenta aut ea sunt carmina, quae ante Naevium Romanis erant, aut Livii Odyssea, quam quidem carmine Naeviano epico elegantiorem dicit Th. Bergk. [3]). At, ne meum de hac re judicium huic viro opponam, ea tantum afferam, quae de Livii et Naevii sermone, praecipue de Odyssea et carmine de bello Punico professi sunt Varro et Cicero, gravissimi certe et luculentissimi hac in re judices. Igitur ille Livium a suis post annos XV. vix intellectum esse affirmat [4]); hic vero Livii Odysseam cum Daedaleo, Naevii bellum Punicum cum Myroneo opere comparat [5]). Atqui poëtam, qui elegantiori utitur sermone et dictione, numeris etiam perfectioribus uti consentaneum est. Sed rudior fuit Saturnius versus ante Naevium eo, quo ipse utitur, quemadmodum testatur Diomedes [6]): *Saturnium*, inquit, *in honorem Dei Naevius invenit*, quae verba non ita intelligenda esse patet, ut Naevius hunc versum, antea incognitum, primus adhibuerit, cum et Fauni et vates et Salios eo usos fuisse constet et Livius Odysseam suam ante Naevium hoc metro conscripserit. Sed, ut Romanae satirae auctor Ennius, inventor Lucilius dicitur [7]), ita etiam Naevius eum versum invenisse fertur, quem imprimis excoluit et accuratioribus certioribusque finibus circumscripsit [8]). Atque re vera Saturnii Naeviani non ita varii et incerti sunt, quam ii, qui e carmine arvali vel aliis carminibus supersunt; quamquam illud temporum decursu magis magisque expolitum esse videtur.

---

1) XII. 2. 3. 2) *Saturn.* VI. 3. *pag.* 173 *ed. Bip.* 3) *l. l.* 4) *de ling. Lat. pag.* 283 *Speng.* 5) *Brut.* XVIII. 70. 6) *pag.* 495 *Gaisf.* 7) *Horat. Satir.* I. 10. 47 *ibiq. Heindorf.* 8) *cf. Weichert poet. Lat. rel. pag.* 279 *not.* 7; *Munk de fab. Atell. pag.* 102.

Jam vero Naevianos Saturnios diligentius examinemus. Forma haec est:

∪∪∪ ∪∪∪ ∪∪∪ | —∪∪—∪∪
∪∪— ∪∪— ∪∪— | ∪ ∪∪ ∪ ∪∪
—́ — —́ ∪∪ | ́ — — ́ —
∪ — ∪ — ∪ — — | — ∪ — ∪ — ∪

Versus etiam hypermetros, quos dicunt, inveni tres [1]. Caesura saepe in mediam vocem incidit [2]. Hiatus quoque haud raro invenitur et quidem saepissime in caesura [3], semel statim post caesuram [4], ubi tamen non admisso hiatu vox, duarum syllabarum in monosyllabum contracta legendo penitus evanuisset, semel post primum pedem [5], semel post alterum jambum [6]. Sex sunt syllabae ante caesuram ultimae in duas breves solutae exempla [7]. Ultima tamen totius versus syllaba non solvitur, quamquam hoc a me uno loco factum est, quo tamen alteram versuum dispositionem praefero [8]. Neque infrequentes sunt vel in epico hoc vel in tragicis comicisve versibus brevium syllabarum in arsi productiones, de quibus tamen plurimis in locis adnotavi, ut longum sit, exempla enumerare. Itaque admodum elegantes ne Naevii quidem versus fuisse apparet; sed temporis hoc quoque crimen est, quod in scribendo haud magnam curam adhibebant nec stilum saepe vertebant, in ipsa sententia apte expressa acquiescentes. De qua re infra.

De jambicis et trochaicis Naevii versibus pauca admonenda habeo. Sunt enim Plautinis versibus nec majores nec minores. Senarium adhibuit jambicum, tetrametros jambicos et trochaicos catalectos et acatalectos; neque non, ut apud ceteros comicos, jambicum versum trochaicus, trochaicum jambicus excipit [9].

Anapaestorum unum relictum est exemplum e medio systemate depromtum; a clausula enim, i. e. a paroemiaco, incipit [10]. Inde lucem accipiunt, quae de clausulis a Naevio adhibitis Marius disputat Victorinus [11]. Sed in creticos etiam numeros, quibus et ipsis usus est Naevius, ut tria demonstrant exempla,

1) I. 6; III. 6; IV. 1. 2) I. 4. 6; II. 6. 12; III. 1. 5. 6. 8; IV. 1. 4. 5. 6. 7; VII. 1; *incert.* 11. 13. *Epitaph.* 4. 3) I. I. 7; III. 6; VI. 1. 3; VII. 2; *inc.* 2. 4) III. 1. 5) I. 6. 6) III. 3. 7) I. 4. 9; II. 13; III. 2. 5; IV. 1. 7) I. 5. 8) *Agitator.* 3; *Hariol.* 2. 9) *Lycurg.* 20. 10) *pag.* 106 *Gaisf.*; *eadem verba repetita leguntur apud Rufinum pag.* 381 *Gaisf.*

tetrametris [1]), dimetris [2]) et dimetris cum monometro trochaico conjunctis [3]), hoc testimonium cadit. Inde concludo, poëtam bacchiacis quoque numeris usum fuisse, utpote a creticis vix diversis [4]).

Choriambicum quoque numerum in Naevii reliquiis adhibitum invenisse mihi videor, idque trimetrum praeeunte basi [5]).

Haec sunt, quae de numeris, quibus Naevius usus fuisse videtur, exponenda habui. Pauca, antequam ad ipsam dictionem transeo, de *alliteratione* in reliquiis Naevianis addam, ita tamen, ut ea tantum augeam exempla, quae e Naevianis fragminibus collegit Naekius [6]). Splendidissimum ipsum exemplum Naevianum omisit Naekius. Est autem hoc [7]):

Libera lingua loquemur ludis Liberalibus.

Praeter hoc unum tantum mea quidem ex sententia addi potest alliterationis exemplum [8]); nam non omnes, quas Naekius [9]) vult, assimilationes alliterationes dixerim.

Ad *dicendi rationem*, qua Naevius usus est, quod attinet, haec quoque ita cum aetate sua ei communis est, ut, quemadmodum magnum decet poëtam, in multis aequales suos superet. Id autem praecipue tenendum est, Naevium ultimum esse poësis mere Romanae poëtam et ab Ennio novam et alienam fere ordiri literarum Romanarum aetatem. Poësis vero mere Romana, ut ipsi Romani ante finitum alterum bellum Punicum, simplex est, inelegans, rudis, libera tamen et gravis, sermo nativus et cum ingenio austero congruus, ab omni externorum servili imitatione abhorrens. Quae res in causa erat, cur specie externa non fallerentur, cur ipsam rem, quamvis, ut ita dicam, nuda esset et omni ornatu careret, respicere et suspicere solerent, cur calamistratos odissent et hominem et orationem. Inde factum est, ut cum Ennio nova prorsus et insolita adhuc et linguae et poësis Romanae ratio inciperet, quae ad miram quandam elegantiam linguam Romanam provexit, ingenium tamen Romanum omni li-

1) *Eq. Troj.* 1. 2) *Eq. Troj.* 3. 3) *Lycurg.* 3. 4) *cf. Pahl de fabula Romanorum palliata et togata (Berolini* 1841) *pag.* 24. 5) *Gymnast.* 3. 6) *de alliteratione sermonis Latini in Mus. Rhen.* 1829 *pag.* 358 *bis,* 359 *bis,* 374. 415 *et* 416. 7) *fragm. com. inc.* 10. 8) *Tarentill.* 4. 9) *l. l. pag.* 403.

bertate magis magisque privavit, utque postera aetas, cui nugae saepe et lusus in deliciis, elegantia certe majoris quam sententia et vis pretii erat, Romanarum literarum initia ad Ennium referret, Naevium fere in contemtu haberet. Sed ipse etiam Ennius meliori jure Romanus dici potest, quam qui ejus vestigia presserunt; mihi quidem ingens ille heros Virgilio omnino praeferendus videtur. Atque quod in eum congessi corruptarum literarum crimen, id et ipsum temporum magis quam Ennii est. *Pinnato* enim *gradu* et rapidissimo cursu non literae solum alienae, sed mores etiam et vitia aliena in Romanam gentem tum irruebant, ut resistere is vix posset, quem nec Romae natum et Graecis praecipue literis imbutum fuisse constat. Melius mehercle de literis Romanis actum fuisset, si sensim sensimque sua excolere, quam aliena statim recipere et aemulari, melius igitur, si, quam viam Naevius ingressus erat et qua postea Attius et Lucilius incedebant, persequi voluissent. Sed ad dictionem Naevianam redeo. Constat, antiquissimos quosque poëtas Romanos liturae operam, dedisse fere nullam [1]). Ita etiam Naevius. Populo enim scripsit, non literatis, carmina composuit, ut ingenio suo satisfaceret et animi cogitata effunderet, non ut otiosas mulceret aures. Itaque eorum judicia reformidat, qui de elegantia solum judicant, non de vi et sententiarum gravitate, qui vestem malunt purpuream homini nequam detractam, quam virum gravissimum, sordida veste indutum. Quae de Lucilio, qui Tarentinis et Consentinis et Siculis, utpote incorrupta simplicitate hominibus, scribere se professus erat, Cicero [2]) exponit, ea magis, quam in ipsum Lucilium, in Naevium cadunt: *neque tam docti tum erant, ad quorum judicium elaboraret et sunt ejus scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris.* Haec praemittenda esse duxi, ne quis, fastidioso et iniquo Horatii et Quinctiliani judicio nimis confisus, contemnendum poëtam Naevium esse putet. A Graecorum enim partibus hi sunt et elegantiam imprimis poëtae appetendam esse arbitrantur, quam censuram in dijudicandis antiquis poëtis non

---

1) *Munk de fab. Atell. pag.* 122; *Stieglitz de Pacuv. Dulor. pag.* 5; *Osann anal. crit. pag.* 31; *Lange vindic. trag. Rom. pag.* 5. 2) *de Finib.* I. 3. 7.

adhibendam esse supra docuimus. Longum est, pluribus de hac re disputare, quae a Viris Doctis satis expedita est [1]). Atque re vera Augusteae aetatis viros rudem tantum antiquorum dictionem exagitasse, postea demonstrabimus. Neque, si diligentius Horatii [2]) de Naevio judicium inspicio, quidquam est, quod invidiosius dictum sit:

Naevius in manibus non est et mentibus haeret
paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poëma.

Inde colligimus, multos fuisse Horatii aequales, qui veterum Romanorum animos et ingenia suspicerent et temporum illorum indolem sibi revocarent legendis Naevii scriptis. Inest quidem in versibus illis cavillans Horatii ironia, qua aequalium in vetera carmina studium reprehendit, quae prae suae aetatis Graeca elegantia contemnenda esse putat. Idem enim de Lucilio ejus judicium est, idem fere de Catullo, Calvo, Laberio, qui tamen, vix dici potest, quanto sint Naevio elegantiores [3]). Agrippa tamen, qui et ipse graecissantia poetarum aequalium carmina haud magnopere adamabat, Virgilii ipsius obtrectator teste Donato [4]) erat et vetera illa carmina in deliciis habebat; quippe ab aetatis suae eleganti ostentatione abhorrebat et, Catonis Majoris instar, rudis erat gravisque. Famosa vero dicere licet Quinctiliani verba [5]): *in comoedia maxime claudicamus. Vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem.* Sed haec quoque obsoletam tantum veterum poëtarnm dictionem respiciunt, ut Sole clarius demonstrarunt Lessingius [6]), Regelius [7]) et Beckerus [8]).

Igitur cum non cum Graecis et aureae aetatis poëtis comparandus sit Naevius, sed cum ipsa aetate sua, videamus jam, quid praestiterit. Quamvis rudis sit ejus elocutio, nihilominus tamen, si cum aequalium

1) *Osann l. l. pag.* 42; *Munk de Pompon. Bononiens. pag.* 37; *de Atell. pag.* 92 *et* 121 *sqq.*; *Weichert poet. Lat. rel. pag.* 124. 270. 278 *et* 325; *Becker de com. Rom. fab. pag.* 58 *sqq.* 2) *Epist.* II. 1. 53. 3) *Weichert l. l. pag.* 287 *et* 333. 4) *Virgil. vit.* XVI. 64; *Servius ad Virg. Ecl.* III. 5. IV. 11. 5) *Instit.* X. 1. 99 *sqq.* 6) *von dem Leben und den Werken des M. Accius Plautus. Tom.* XXII. 7) *de re trag. Rom. pag.* 29 *sqq.* 8) *l. l. pag.* 61.

sermone eam comparaveris, elegans fere est. Nam Livium post XV. annos ne a suis quidem satis intellectum esse, Varro [1]) memoriae prodidit; Naevii tamen fabulae Ciceronis etiam aetate in scenam prodierunt [2]). Livii carmina ne digna quidem esse affirmat Cicero [3]), quae iterum legantur; Naevii tamen bellum Punicum ipsorum Horatii aequalium mentibus infixum erat et in eorum manibus versabatur [4]). Nam quod Livii Odysseam in scholis sua etiam aetate dictatam et explicatam esse Horatius [5]) dicit, id ipsum docet, non intellectam eam fuisse populo, sed interprete eguisse, quam, ut a Myrone Daedalum, ita a Naevii bello Punico distare affirmat Tullius [6]), quae de sermone et de metro dicta esse patet, cum de sententiis Punicum Naevii bellum cum Livii vel potius Homeri Odyssea non certet. Inde non temere concludere mihi videor, Naevianum sermonem, simplicem eum et ab omni alienorum imitatione vacuum [7]), eo, quo vixit, tempore elegantem fuisse et postea etiam perspicuum. Nam quod Lampadionem, Balbum, Virgilium grammaticos carmina Naeviana commentariis instruxisse narratur, id in Ennium quoque cadit [8]), quem tamen ab Hadriano etiam imperatore in deliciis habitum et lectitatum fuisse constat [9]). Itaque invidiosus est Theodorus Bergk [10]) et praeoccupatus, qui Livii Andronici versus et elocutionem Naeviano dicendi genere multo molliores et elegantiores judicat, neque satis habuit in orationem Naevianam invehere, sed totam poësis Naevianae laudem funditus evertere conatus est, exemplis tamen usus, quibus (nam ex arbitrio explicata et pessime a Bergkio intellecta sunt) mallem usus non esset. Sed de poëtica Naevii facultate et indole infra. Attamen unum est, quo argumenti instar usus est ad demonstrandum, quam sit Naeviana dictio Liviana minor. *Arquitenentem* enim Apollinem Naevius dixit [11]), quod vocabulum propter metri angustias a poëta formatum eique vitio vertendum esse putavit. Sed cur demum?

---

1) *de ling. Lat. pag.* 283 *Speng.* 2) *cf. pag.* 100 *sqq.* 3) *Brut.* XVIII. 71. 4) *Horat. Epist.* II. 1. 55. 5) *Epist.* II. 1. 69. 6) *Brut.* XVIII. 70. 7) *cf. Meyer in Zeitschr. für Alterthumsw.* 1836. *pag.* 376. 8) *Sueton. de illustr. gramm.* 2. 9) *Spartian. in vita Adriani.* 10) *in Zeitschr. für Alterthumsw.* 1842. *pag.* 191. 11) *bell. Pun.* II. 13.

cum eadem vox et a Virgilio [1]) et a Cicerone [2]) adhibeatur, ut laudi poëtae vertendum sit, quod novis verborum compositionibus linguam Romanam ditavit. Namque si cum Bergkio argumentari velis, Enniana dictio Naeviana minor est, cum metri gratia Ennius voces in syllabas distraxerit [3]), itaque Latini sermonis integritatem magis quam Naevius evertisse dicendus sit, ut — quam laudem justam et dignam dicit Gellius, nisi ab ipso Naevio proficisceretur — Romanos post suam mortem Latina lingua loqui oblituros esse recte vaticinatus sit.

Haec de veterum testimoniis. Quantum vero ex fragmentis superstitibus apparet, sermo Naevianus comicus Plautino simillimus est, epicus vero, lyricus et tragicus, ut res ferebat, magis austerus et gravior. Multae inveniuntur in fragmentis Naevianis comicis interjectiones et ὀνοματοποιΐαι, ut *butubatta* [4]), *tax pax* [5]), *attatae* [6]), *ei ei* [7]), *st* [8]) et *bilbit* [9]) atque *trit* [10]), quae sine dubio e vulgari sermone mutuatus est. Eodem modo, ubi res tractat, de quibus infimo hominum ordini singulare quoddam et proprium judicium est, vulgaribus etiam verbis [11]) vel comparationibus [12]) utitur, ut aptus omnino sententiis et personis sermo sit. Ab usu etiam forensi verba deducit [13]), non ea, qua Plautus [14]), inscitia. Praeterea multa sunt verba obsoleta [15]), quorum nonnulla apud recentiores scriptores Latinos reperiuntur, quos abolitis illis vocabulis gavisos esse constat. Tum multorum verborum genera ab aureae aetatis usu diversissima apud Naevium inveniuntur [16]), diversae etiam nominum [17]) et verborum [18]) flexiones, insolitae constructiones [19]). Antiqua

---

1) *Aen.* III. 75. 2) *Arat.* 181. 3) *exempla inveniuntur apud Krausium Roem. Literaturgesch. pag.* 162. 4) *fragm. com. inc.* 7. 5) *Agitat.* 6. 6) *Coroll.* 9; *Tarent.* 14. 7) *Tarent.* 13. 8) *Coroll.* 10. 9) *com. inc.* 6. 22. 28. 10) *Coroll.* 8. 11) *com. inc.* 5 *et* 16; *Gymn.* 1; *Col.* 3; *Coroll.* 5; *Hariol.* 2. 12) *inc. com.* 3 *et* 4; *Tabell.* 1. 13) *inc. com.* 17. 14) *cf. Rost opusc. Plaut.* I. *pag.* 13 *sqq.* 15) *bell. Pun.* III. 2. IV. 4. *inc.* 4. 6. 13; *Agid.* 1; *Assit.* 1; *Col.* 4; *Demetr.* 1; *Pacev.* 1; *Pellic.* 1; *Pull.* 1. 2; *Techn.* 1; *inc. trag.* 7. 8, *com.* 1. 9. 16) *bell. Pun.* II. 12. V. 1; *Lycurg.* 15; *inc. com.* 31. 32. 33. 17) *Pun. bell.* I. 9; II. 15; *Lycurg.* 21; *Tarent.* 2. 18) *Carbon.* 1. *Tabell.* 2. *Testic.* 1. 19) *bell. Pun.* I. 7; *Dan.* 4; *Tarent.* 13.

etiam verborum deponentium forma activa [1]). Contrahuntur quoque voces, ut *cedite* in *cette* [2]) et perfecta in formam praesenti similem [3]). Neque non etymologum, quem dicunt, Naevius sese exhibet [4]). Genitivum primae declinationis in *ai* jam apud Naevium inveniri, epitaphium ejus docet [5]), ut falso eum ab Ennio primo adhibitum contendant [6]). Graeca quoque vocabula in fabulis, e Graeco translatis, adhibuit [7]); dubito tamen, an in bello quoque Punico et togatis usus iis sit; exempla certe nulla exstant. Inde apparet, Naevium non ita severum fuisse Romanum, ut Cato fuit, qui ne ea quidem e Graeca lingua in Romanam inferenda esse duxit, quibus ea vere augeretur.

De ingenio Naevii.

Romanum esse poëtam demonstravi; attamen non solum Romae natus est, sed Romanum etiam ingenium prae se fert. Uber est, gravis et audax et liber, et, si venia verbo, politicus. De ubertate quidem poëtae non licet judicare ex iis, quae supersunt; sed luculententissa hanc in rem exstant testimonia Ennii et Virgilii, immo vero etiam Propertii, qui Naevium non imitati solum, sed ex ejus libris multa suffurati sunt. Sed de hac re infra, ubi de singulis Naevii carminibus exponetur. De gravitate vix est quod moneam; contemnit enim verborum elegantiam et in sententia ipsa acquiescit, ut Terentius [8]) Naevianam gravitatem obscurae aequalium suorum diligentiae opponat. Audax vero quam fuerit, et vincula publica et exilium loquuntur. Quae audacia cum libero ejus animo conjuncta est. Atque hac quidem in re de Naevio etiam ea dici possunt, quae Ennius de se ipso confessus est. Nam *natus eo ingenio erat, ut et amicitiam et inimicitiam in fronte promptam gereret* [9]) et animi cogitata libere profiteretur et, ut ipse dicit, *summussos odisset* [10]) et *libertatem semper pluris faceret et multo potiorem haberet quam pecuniam* [11]). Politicum autem

---

1) *bell. Pun.* IV. 2; *Dan.* 1; *Coroll.* 1; *Project.* 1. 2. 2) *Lyc.* 25. 3) *bell. Pun.* IV. 2; *Lyc.* 24. 4) *bell. Pun.* II. 7. 8. 5) *v.* 4. 6) *Krause l. l. pag.* 159. 7) *Lycurg.* 1. 12. 13. 20. *Diabol.* 1. *Tunicul.* 1; *com. inc.* 34. 8) *Andr. prol.* 20. 21. 9) *Ennius apud Gell.* XIX. 8. 6. 10) *com. inc.* 18. 11) *Agitat.* 3.

et optimum civem poëtam dico, cum et militiae onera contra Poenos se subiisse glorietur [1]), et civium aequalitatem carminibus quoque suis tueri et stabilire nitatur. Atque pertinax hac in re fuit, cum, quamvis propter maledicentiam, ut dicere solent, suam in carcerem publicum missus et mortis pericula passus esset, nihilominus ab animo suo cedere nollet, sed propter eandem, qua in vincula conjectus erat, caussam ipsum exilium perpessus sit. Sed populi favore gavisus est [2]) et cum Catonibus atque Atiliis Calatinis intima ei erat amicitia [3]).

Quamquam non Romanus solum, quem quidem indoctum existimare solent, sed eruditus etiam et Graecis literis imbutus erat. Nam, quemadmodum constat, Graecas fabulas imitatus est, et philosophiam quoque doctum eum fuisse, quae exstant, fragmenta testantur [4]). Certiora tum demum de poëta affirmare licebit, cum aut ipsi ejus libri aut firmiora et accuratiora de eo testimonia data erunt.

De carminibus Naevii.

Nullum novi poëtam in tot diversissimis poësis generibus periclitatum et tam secunde et prospere succedentem, quam ipsum Naevium. Ita e Platonis quidem sententia [5]) optimum quemque poëtam esse decet. Sed veteres Romanorum poëtae omnes fere diversissima quaeque carmina pepigerunt, ita tamen, ut de Livio comico lis inter Viros Doctos nondum composita sit, Ennium in comoedia male successisse sciamus, Plautum comicum tantum noverimus. Itaque nullus est poëta praeter Naevium, qui in omnibus fere carminum generibus parem laudem demeruisse videtur. Sed videamus singula.

1. Carmen de bello Punico primo.

Historicum hoc poëma erat, ut Vossius [6]) optimo jure suo historicis Romanis Naevium adnumeret, quemadmodum Cicero Ennium [7]). Bene de hac re exposuit

1) *bell. Pun.* VII. 3. 2) *pag.* 20 *sqq.* 3) *cf. pag.* 10, 20 *et* 65. 4) *Dan.* 4; *trag. inc.* 1. 5) *Conviv. pag.* 223. *d. Steph.* 6) *de histor. Latin.* I. 2. 7) *cf. Merula ad Ennii Fragm. pag.* 5 *et* 13.

Ulrici [1]), quem in plurimis sequor, paucis tantum additis, quae historicam hujus carminis naturam magis etiam comprobent. Nam Schuettium [2]) nihil moror, qui quaecunque de hac re disputavit, ex libro ab Ulrici conscripto, non addito auctoris nomine, mutuatus est. Unum tamen est, quod, quamquam loco non apto [3]), addidit. Naevianum enim poëma hoc a nullo scriptore vetere *carminis* nomine augeri affirmat, falsissime, ut undecim veterum loci comprobant [4]). Nihilominus tamen forma magis quam re carmen referebat, exceptis duobus prioribus libris. Libri enim posteriores quinque res descripserunt, quae, vix praeterlapsae, in hominum aequalium memoria penitus infixae haerebant, ut fingere et exornare non posset poëta, quae aliter facta esse omnes sciebant. Praeterea ipsa fragmenta modo non omnia jejunitatem quandam prae se ferunt, qualis historicorum esse solet. Quamquam sunt, ubi poëtico ornatu incedit, ut in miserandi naufragii illius descriptione [5]). Praeterea quae magno cum ornatu apud historicos de serpente illo immenso ad flumen Bagradam grassante referuntur, ornatum suum e Naevii carmine accepisse videntur. Sed narrasse, non finxisse et multa exornasse poëtam, jam id comprobat, quod in ipso hoc carmine stipendiorum suorum meminit [6]). Luculentissimum vero Ciceronis vel Ennii testimonium est, e quo duo simul concludi possunt, cum Ennium ingenium Naevii poëticum haud contemsisse, tum utriusque carmen historicum magis quam poëticum fuisse. Cicero [7]) enim: *sit Ennius sane*, inquit, *ut est certe*, *perfectior* (sc. Naevio); *qui si illum*, *ut simulat*, *contemneret*, *non*, *omnia bella persequens*, *primum illud Punicum*, *acerrimum bellum*, *reliquisset*. *Sed ipse dicit*, *cur id faciat*: *scripsere*, *inquit*, *alii rem versibus*, *et luculenter quidem scripserunt*, *etiamsi minus*, *quam tu*, *polite*. *Nec vero tibi aliter videri debet*, *qui a Naevio vel sumsisti multa*, *si fateris*, *vel*, *si negas*, *surripuisti*. Atqui, si non historici instar Naevius bellum illud cecinisset, reli-

---

1) *Charakteristik der antiken Historiographie pag.* 88 *sqq.* 2) *de Cn. Naev. poeta pag.* 44. 3) *l. l. pag.* 40. 4) *cf. Festus pag.* 257 *Muell.*; *Gellius* XVII. 21. 45; *Priscian. Instit.* I. *pag.* 179. 221. 236. 246. 250. 255. 261. 332. 343 *Krehl.* 5) IV. 6. 6) VII. 3. 7) *Brut.* XIX. 75.

quisset, puto, Ennio, quae fingeret et nova ratione exponeret. Sed *luculenter* scripserat Naevius, i. e. rerum ordinem fideliter et narrantis instar secutus erat, ut fides ejus descriptioni esset summa. Nihilominus haud accurate Cicero disputasse videtur, cum primum quoque bellum Punicum ab Ennio expositum fuisse plurima fragmenta [1]) testentur. Quae cum ita sint, Ciceronis verba ita intelligenda sunt, ut Ennius, cum a Naevio hoc bellum luculenter enarratum esse videret, brevius id tractaverit et lectores, ut versus illi in Naevium scripti docent, ad Naevianum carmen relegaverit, itaque Naevio id quasi reliquisse dictus sit. Historicum igitur hoc erat poëma et ad ipsas temporum rationes exactum. Namque fragmentum [2]) exstat, in quo per septimum decimum belli annum exercitum Romanum eodem loco sedisse narratur, ut verisimile mihi quidem sit, ipsum carmen a Lampadione ad certos annos consulares, quos ipse poëta respexerat, in libros redactum fuisse [3]).

Quod vero ad duos libros priores attinet, ii cum sequentibus ita connexi fuerunt, ut summam, ingentem fere dicerim, licentiam sibi permisisse Naevius dicendus sit. Namque mythicam Romae et Carthaginis historiam praemisit enarrando bello Punico primo ita, ut omissis, quae inde a condita Roma usque ad belli initia facta erant, a rebus antiquis statim ad suam aetatem transiret, neglecto quadringentorum annorum spatio. Atque hoc quoque loco Naevium historicum magis, quam poëtam egisse, demonstratur. Ut enim, quemadmodum rerum scriptores facere solent, utriusque gentis et Romanorum et Carthaginiensium inimicitias ab ultima antiquitate repeteret, itaque causas maxime reconditas illustraret et auxilia enumeraret, prooemii instar utrumque illum librum praemisit. Noli vero arbitrari, in his quoque eundem atque in ceteris libris sese exhibuisse Naevium. Nam in illustrandis rebus illis fabulosis et in celebranda Romanae originis gloria poëtico incessit ornatu et rem suam ita exsecutus est, ut Virgilius e Naevii potius stercore (ita enim dicit) aureum suum collegisse dicendus sit, quam ex Ennii Annalibus, vel duplex furtum factum sit, Ennii e Naevii bello Punico, Virgilii ex Ennii An-

1) *cf. lib.* VII. 2) VI. 1. 3) *cf. pag.* 32.

nalibus et e carmine Naeviano. Etenim Ennium multa e Naevii carminibus suffuratum esse, Cicero testis est [1]), Virgilius autem, cum Furium Antiatem [2]), Ennium, alios, tum Naevium ita exscripsit, ut quaecunque fere de rebus Trojanis, de erroribus Aeneae, de Didone, de urbis et Carthaginis fundamento supersunt fragmenta Naeviana [3]), in Virgilii Aeneide, quamvis elegantiori versui et orationi accommodata, reperiantur. Attamen uterque carmen Naevianum in usum suum ita convertit, ut sententias ex eo mutuaretur, verba mutaret, immo Ennius sermonem Naevianum tantum non derideret [4]). Apparet inde, formam tantam externam, rudem sermonem, asperos versus Naevianos haud placuisse viris illis, sed sub sordida veste ea latuisse, quae splendidissima et gravissima essent, quaeque, simulatque alio ornatu incederent, tantum Virgilii lectoribus stuporem injicerent. Itaque ingeniosissimus certe et gravissimus Naevius erat, quamquam non elimatus et calamistratus.

Res in prioribus libris descriptas non e cyclicis, quemadmodum Schuettius opinatus est, accepit carminibus [5]), sed fabulas de Aenea vere Romanas et quae in totius populi ore versabantur cecinit; quamquam quae de Didone Aenean hospitaliter accipiente et mox ab eo spreta narravit, ea non dubito quin recentioris originis, vel ab ipso poëta excogitata et in rem suam ficta sint [6]). Quae vero de Anchisae morte addidit, ea ex fabulis de Eryce monte Siculis desumsit [7]).

Ceterum Naevius non omnino ab omni imitatione alienus est, sed Homerum etiam, omnium poëtarum quasi parentem et exemplum, nonnunquam consuluisse videtur, ut catalogus auxiliorum, quibus uterque populus utebatur [8]), et naufragii ad Camarinas descriptio [9]) docent.

Primum autem et quod in Naevii laudem plurimum valet, id est, quod primus epicum carmen Romanum

---

1) *cf. not. ad fragm.* I. 4. 2) *cf. Weichert poet. Lat. rel. pag.* 329. 3) *cf. pag.* 31, *not. ad fragm.* I. 2. 4. 6. 7. 9. 10. 11. 13. II. 1. 2. 3. 4. 7. III. 1. *inc.* 11. 12. 4) *cf. not. ad fragm. inc.* 6. 5) *cf. pag.* 30 *sqq.* 6) *cf. pag.* 29. 7) *cf. not. ad fragm.* III. 1. 8) *cf. not. ad fragm.* II. 11. 9) *cf. not. ad fragm.* IV. 6.

pepigit. Quamvis enim Livius Odysseam Latinam scripserit, est tamen hoc carmen Graecum, Graeco argumento, ex ipso Graeco exemplari verbotenus fere conversum. Attamen in Diomedis grammatici editione Putschiana [1]) haec leguntur: *epos Latinum primus digne scripsit Livius is, qui res Romanorum XVIII. complexus est libris, qui et Annales scribuntur*, quo loco de Ennio agi bene perspexerat Vossius; atque re vera Gaisfordii [2]) libri omnes Livii nomen omittunt. Digne igitur Romanas res carmine epico primum describsisse Ennium Diomedes affirmat, cujus tamen judicium non magni aestimandum est, quippe quod in eo, ut solent grammatici Latini, iniquum sit, quod formae elegantiam tantum respicit, itaque Naevium, Saturnio numero usum, digne scripsisse praefracte negat. Tamen mirum hoc de bello Punico carmen fuisse, Cicero [3]) testatur, qui, Livii Odysseam cum Daedali opere comparans, Naevii bellum Punicum quasi Myronis opus delectare dicit, quae verba quomodo intelligenda sint, ipse explicat [4]), cum Myronis signa nondum satis ad veritatem adducta, jam tamen ea esse affirmet, quae non dubites pulchra dicere. Atque ipse quoque Naevius quam hoc carmine suo delectatus sit, supra exposui [5]); scilicet ita se scripsisse noverat, ut, donec Romani essent, suum quoque nomen mansurum esse confideret. In quo spes eum non fefellit. Nam carmen de bello Punico populum Romanum in deliciis habuisse idque omnium in mentibus haesisse atque in manibus versatum et lectitatum fuisse, Horatius testatur [6]):

Naevius in manibus non est et mentibus haeret
paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poëma!

Itaque, ut poëta vere Romanus, ita ejus carmen quoque Romanum erat et manebat (es war ein Nationalepos).

Praeter illam vero licentiam, qua in connectendo carmine suo Naevius sibi indulsit, aliud etiam est memoratu satis dignum. Ut enim Graeci se rebus, ita veteres Romani res sibi accommodarunt. Non patitur enim Romanum ingenium, qua est superbia, ut res ho-

---

1) *pag.* 480. 2) *pag.* 442. 3) *Brut.* XIX. 75. 4) *l. l.* XVIII. 71. 5) *pag.* 26. 6) *Epist.* II. 1. 53.

minem occupet, sed homo rem sibi subjicit. Inde factum est, ut lyricorum more et Naevius et Ennius in epicis suis carminibus sui meminissent, ut non quae gesta sint solum, sed quae sibi visa sint, describerent. Ita priscis jam reipublicae Romanae temporibus ea, quae fiebant, a plebejis hominibus in plebejam rem et usum descripta, a patriciis in suum commodum narrata et cantata sunt; nam veteres illae de reipublicae Romanae incrementis fabulae, quemadmodum Niebuhrius demonstravit, in gloriam plebis compositae erant, dum Pontificum Annales patriciorum laudes celebrabant. Ita Naevius etiam non rem ipsam solam loqui jubet, sed suum quoque de summis viris judicium in carmine suo protulit, ut de Atilio Calatino, viro plebejo.[1])

2. Fabulae.

a. Tragoediae.

De Naevio poëta tragico dubitavit nuper Welckerus[2]). Ita autem argumentatur: Equus Trojanus incertum est utrum Naevii an Livii sit; ex Iphigenia unus tantum citatur versus, ut Naevium cum Ennio confusum esse putare liceat; nulla praeterea fabula a scriptoribus antiquis *tragoedia* dicitur; Hesionam comoediam fuisse concedit Bothius; Lycurgum comoediam esse Duentzerus arbitratur; Andromache comoedia et ne Danaë quidem tragoedia fuit; Alcestis et Protesilaodomia Laevio vindicandae, ut corruptus tantum ex Iphigenia unus, unus isque incertus ex Equo Trojano et duo ex Hectore proficiscente versus supersint, propter quos Naevius tragicus poëta dici possit. Haec Welckeri sunt argumenta, quae maximam partem jam suo quodque loco refuli. Namque Equus Trojanus Naevio vindicanda est[3]); Iphigenia a Nonio ei adscribitur[4]); Hesione ab ipso Gellio *tragoedia* dicitur[5]); Lycurgus non ex Anaxandridis, sed ex Aeschyli fabula cognomine fluxit[6]); Andromache cum Hectore proficiscente ex Hectore Polydamantis conversae sunt[7]); Danaës argumentum e Graeca Euripidis fabula desumtum est[8]); Alcestis vero et Protesi-

1) *fragm.* III. 9. 2) *die Griechisch. Tragoedien pag.* 1370 *sqq.*; 3) *cf. pag.* 99 *sqq.* 4) *cf. pag.* 106. 5) *cf. pag.* 105. 6) *cf. pag.* 107 *sqq.* 7) *cf. pag.* 93. 8) *cf. pag.* 94 *sqq.*

laus recte Laevio vindicantur [1]). Itaque sex tragoediarum Naevianarum fragmenta supersunt, Andromachae vel Hectoris, Danaës, Equi Trojani sive Doli, Hesionae, Iphigeniae, Lycurgi. Atque non modo tragicus poëta Naevius est, sed, nisi fallor, is, quem summum dicere non dubites. Nam post praeterlapsa duo fere saecula Naevianae etiam fabulae in scena edebantur una cum Attii fabulis [2]). Quid? quod, nisi omnino fallor, non modo, ut ceteri tragici Romanorum, singulas Graecorum fabulas, sed universas trilogias in linguam Romanam convertit [3]), idque ita, ut non verbotenus, quemadmodum Livius, verba Graeca redderet, sed sententiam tantum, quemadmodum Ennius, exprimeret et multa de suo adderet. Imitatus autem est Aeschylum et Euripidem in Lycurgo, Euripidem in Danaë, Polydamantem in Hectore. Jam vero e Lycurgo apparet, non solum de comicis Naevii fabulis ea valere, quae de eo narrat Terentius [4]), duas et Naevium et Plautum fabulas Graecas in unam Latinam conjunxisse; nam et Bacchas Euripideas et Lycurgiam Aeschyleam, quae fabulae, ut Menandri Andria et Perinthia, idem fere argumentum tractabant, in usum suum adhibuit. At vero Naevius imprimis Euripidem fovisse videtur, cujus artes quoque et subtilitates in Danaë Naeviana conspiciuntur [5]). Sed praeter quod Graecos imitatus est et argumenta sua ab iis petiit, Italicas quoque fabulas secutus esse videtur, ut fabulas de Epeo Metapontinas in Equo Trojano illustravit. [6]) E quo Graeco exemplari Hesionen verterit, nescio; nulli enim tragico Graecorum poëtae ejusmodi fabulam adscriptam legimus.

In tragoediis [7]) quoque inveniuntur, quae imitatus est Virgilius [8]), immo etiam Propertius. [9]) Praeterea non desunt, quae fabulas etiam Naevianas in ore populi fuisse testentur: ita proverbia inveniuntur non pauca, quae a Naevio originem ducunt. [10])

b. Togatae.

Praeter epicum carmen fabulam quoque suam Romanis dedit. Cum enim Livius Graecas tantum fabu-

---

1) *cf. pag.* 90 *et* 127. 2) *cf. pag.* 100 *sqq.* 3) *cf. pag.* 93 *et* 109. 4) *Andr. prol.* 17; *cf. pag.* 108. 5) *fragm.* 4. 6) *cf. pag.* 103. 7) *Eq. Troj.* 2. 8) *Eclog.* III. 49; *cf. Macrob. Saturn.* VI. 1. *pag.* 157 *Bip.* 9) *Eleg.* II. 8. 25. 10) *cf. Eq. Troj.* 4; *inc. com.* 14.

las in Romanam linguam convertisset, Graeca argumenta tractasset, Graecos mores descripsisset, quod fabularum genus palliatum dicitur, Naevius Romanas fabulas primus composuit sine omni Graecorum aut exemplarium imitatione aut morum descriptione, quae togatorum nomine insignitae sunt. Donatus quidem [1]): *comoediam, inquit, apud Graecos dubium est quis invenerit, apud Latinos certum est. Comoediam enim et tragoediam togatam primo Livius Andronicus repperit*, quem tamen jam Neukirchius [2]) satis refulit. Videtur enim Donatus fabulam Romano sermone scriptam cum fabula togata confundere. Nam neque ullius scriptoris testimonio, neque ipsius Livii fabularum inscriptionibus fragmentisve, hunc poëtam, qui a Graecis totus pendet et tanquam Graecus Romano Naevio opponi solet, argumentum aliquod Romanum in fabulis suis tractasse, comprobatur. Naevii autem Romulus et Clastidium togatae sunt, illa praetextata, haec tabernaria. An trabeatas etiam et planipedias scripserit, incertum, neque verisimile est, cum nullum supersit fragmentum, quo id probabile reddi possit. Sed genera togatarum nisi personis, quae in iis agunt, vix diversa inter se sunt, ut cum primum togata inventa esset, trabeatae quoque et planipediae simul essent inventae, utque, qui primus Romanos mores in scena edidit, omnium togatae fabulae generum inventor dici possit. Recte autem Neukirchius [3]) Naevium eo consilio Romanos mores in scenam produxisse affirmat, ut, veterum Atticorum instar, de republica quid sentiret, libere profiteri, eosque cives, quos odisset, maledictis suis insectari, et pessimum quemque perstringere et contemnendum propinare spectatoribus posset. Haec est maledicentia illa Naeviana, quam scriptores veteres dicere solent, eadem, qua utitur Aristophanes et qua in omnes invehitur, quos reipublicae saluti obesse putat. Praeter Romulum et Clastidium an Leon quoque, Hariolus et Pulli togatae fuerint, nescio. [4])

Togatas Naevio abjudicat Welckerus [5]), ita tamen ut rem in incerto reliquendam esse putet. Sed quamvis incertum sit, sintne Clastidium, (Lupus) et Pulli

---

1) *de comoedia, principio.* 2) *de fabul. togat. pag.* 62. 3) *l. l. pag.* 67. 4) *cf. pag.* 158 *et* 155. 5) *die Griech. Tragoedien pag.* 1345 *not.*

fabulae togatae nec ne, quid de Romulo statuendum est? Etiamsi Welckero id largiaris, ne Romulum quidem Naevii fabulam togatam ejusmodi fuisse, qualis Afranii togatae et Attii fuerunt, quod minime concedendum est, inventor tamen togatarum certe Naevius fuit, ut qui primus Romanas res in scenam produceret.

c. Comoediae.

Comoediae Naevianae togatis similes sunt, ita dico, ut, quamvis ex imitatione Graecorum fluxerint, nihilominus tamen non omnino Graecae sint, sed Romanos etiam mores respiciant et rerum Romanarum, reipublicae, civium mentionem frequentissime injiciant. Quae cum ita sint, Naevium meras Graecarum fabularum interpretationes facere non potuisse apparet. At alia plane Schlegelii[1]) est sententia, qui Ciceronis[2]) verba: *Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii, qui non verba, sed vim Graecorum expresserunt poëtarum* ita intelligit, ut et Livium Andronicum et Naevium dedita opera a Cicerone omissos dicat, ut qui Terentii instar ipsa verba expresserint. Sed non omnes, qui vim tantum Graecorum expresserint, enumerasse Ciceronem, ex ejus verbis apparet; multos enim alios praeter hoc fuisse asseverat. Verum etiamsi hoc non addidisset, notum est, ab Ennio veram Romanorum poësin incepisse, Ciceronis quoque fuisse sententiam; quo fit, ut plerumque poëtas inde ab Ennio citare soleat, omissis Livio et Naevio.

Imitatur plerumque novam Atticorum comoediam, ut et plurimarum fabularum inscriptiones demonstrant, et personae docent, quibus utitur. Servos enim inducit vapulantes[3]) et astutos[4]), parasitos[5]), milites gloriosos[6]), juvenes amantes[7]), meretrices[8]) senes morosos[9]), quae personae apud reliquos quoque comicos reperiuntur. Praeterea Naevium novam Atticorum comoediam ad imitandum sibi proposuisse et prologi, quibus utitur[10]), et id extra dubium ponit, quod duas Graecas fabulas, ut Plautus et Ennius et Terentius,

---

1) *Lection. dramatic.* II. *pag.* 16. 2) *Academ.* I. 3. 10. 3) *cf. fragm. Philemp.* 4) *Triphall.* 1; *fragm. Pacev.* 5) *Coroll.* 3; *Gymn.* 3. 6) *Colac.* 1. 7) *Coroll.* 4; *Gymn.* 6; *Tarentill.* 5; *fragm. Triphall.* 8) *Gymn.* 6; *Tarent.* 1. 5. 9) *fragm. Triphall.* 10) *Acontizom.* 1.

in unam Romanam, teste Terentio [1]), conjunxit. Sed non ita duas fabulas conjunxit, ut nisi quae in Graecis exemplaribus legerentur, nihil in suam inferret, quemadmodum Terentius facere solet, sed ita agit, ut Romanus omnino sit et, quamvis in ipso argumento Graecos sequatur, in expositione tamen Romanos cives et tempora sua respiciat, itaque veterem quasi Atticam comoediam cum nova conjungat [2]). Romani enim mores sunt, quos plurimis locis describit [3]), neque desunt loci, quibus civium suorum vitia carpat [4]). Summa igitur hac etiam in re libertate utitur. In comoediis enim, quemadmodum supra [5]) demonstravi, splendidissimas Romanorum gentes et viros perstrinxit, Metellos dico et Scipionem [6]), quod non in bello Punico factum esse, jam id comprobat, quod, ut probra illa in nobiles conjecta dilueret, fabulam duplicem comicam composuit, Hariolum et Leontem, non carmen epicum. Quam audax Naevius fuerit, inde puto, optime apparebit, si cum Plauto eum comparaveris. Plautum autem amicissimum Naevio fuisse, ex ipsius fabulis constat [7]). Amici vero et conjuncti eo quoque nomine fuerunt, quod a plebis partibus stabant, optimatibus non favebant. Quid enim? si Plautus nobilium partes, ut Ennius, amplexus esset, cogitarine potest, hos eum in pistrina molentem fame paene opprimi sivisse? Sed in Scipiones cum Naevio carminibus suis invectum esse Plautum, Cicero [8]) disertis verbis testatur, de quo loco supra [9]) disseruimus. At, quaesiverit aliquis, cur plebs Plauto suo fame laboranti non succurrit, Naevio de vita periclitanti auxilium tulit [10])? Primum Sarsinas Plautus, Naevius tamen Romanus est; tum diversi etiam sunt poëtae. Audacior enim Naevius, suppressior, quo erat loco positus, Plautus; πολιτικός, ut ita dicam, hic, ἠθικός ille, veterem, quod ad consilium spectat, hic, novam ille comoediam aemulatur. Nam, ut in Cleonem, Hyperbolum, Lamachum, alios Aristophanes, in Periclem

---

1) *Andr. prol.* 17; *Eunuch. prol.* 25. 2) *cf. pag.* 109. 3) *e. gr. Acontiz.* 3. *Agitat.* 6. *Pull.* 1; *Triphall.* 1; *incert.* 1. 4) *Erular.* 1. *Lud.* 1. *Tarent.* 6. 7. *inc.* 16. 21. 5) *pag.* 18 *sqq.* 6) *cf. fragm. inc.* 22 *et* 23. 7) *mil. glor.* II. 2. 55; *Casin.* III. 1. 10; *cf. pag.* 21 *et* 141. 8) *de Republ. pag.* 436 *ed. Moser.* 9) *pag.* 16. 10) *cf. pag.* 21 *et* 22.

Eupolis, ita in Metellos et Scipionem Naevius invehitur; ut demagogos et stultos oratores et rabulas illi, ita eosdem Naevius lacessit et reipublicae perniciem ab iis proficisci profitetur.[1]) Plautus autem nobilium luxuriam tantum in reprehensionem vocat, neque ulla fere ejus est comoedia, in qua hanc propter causam, cum ab ingenua simplicitate deficere Romanos videret, nobiles non accuset[2]). Simillimi igitur Plautus et Naevius, qui toto tamen coelo a Livio, Ennio, Terentio distant. Servilem enim Graecorum imitationem illi omnino respuunt[3]), Livius tamen in convertendis, Terentius in eleganter reddendis Graecis exemplaribus ita versantur, ut Romani mores et homines nusquam in eorum fabulis adumbrentur, Ennius denique a comoediis omnino fere abstinuit et in comicorum Romanorum censura a Volcatio Sedigito instituta antiquitatis tantum gratia et decimo demum loco laudatur. Sed uno apud Terentium loco[4]), qui nusquam alibi res Romanas respicit, Pyrrhi regis mentio fit, qui tamen rex a Terentii aetate remotior est, non ita a Naevii, ut nesciam, an Terentius, quem, cum Eunuchum editurus esset, Luscius Lanuvinus furti incusaverat, quod parasiti et militis gloriosi personas e Plauti Naeviique Colace in Eunuchum suam recepisset, praeter illas personas alia etiam e Plauti Naeviique fabula sumserit. Versus hi sunt:

Thraso. Tu hoc instrue. Hic ego ero post principia; inde omnibus signum dabo.
Gnatho. Illuc est sapere. Ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.
Idem hoc jam Pyrrhus factitavit.

Hoc quidem, ut mihi videtur, loco Terentius furti suspicionem vix effugere potest, atque, ni fallor, e Naevii Colace haec in suam fabulam transtulit. Namque parasiti personam e Plauti Colace, militem gloriosum e Naevii fabula cognomine Terentium desumsisse supra[5]) demonstravimus. Neque e Naevianarum comoediarum reliquiis non constat, eum res multo ante se tempore factas, nomina etiam externa fabulis suis im-

---

1) *Lud.* 1. 2) *cf. Chr. Petersen in Zeitschr. für Alterthumsw.* 1836. *pag.* 609 *sqq.* 3) *Becker de comic. Rom. fab. pag.* 62 *sqq.* 4) *Eunuch.* IV. 7. 11. 5) *pag.* 142. *cf. pag.* 144.

miscuisse, quibus tanquam exemplis rem suam magis etiam illustraret. Ita Pantaleontis Pisarum tyranni mentio fit, quo allato rem suam ridiculam et comicam reddere vult; ea enim est ridiculi natura, ut aliquid contra quam jure expectari poterat injiciatur [1]), minimum et levissimum quodque cum summo et gravissimo comparetur, quemadmodum Thraso cum Pyrrho rege, Testicularius Naevianus cum Pantaleonte tyranno [2]). Sed non modo res ante se factas Naevius in fabulis suis respicit, verum res etiam ea aetate gestas, qua fabulas componebat [3]). Gaudet praeterea, ut reliqui comici, verborum lusibus, idque non modo in comoediis [4]), verum etiam in tragoediis [5]), unde cave concludas, Hesionen non esse tragoediam. Multa enim ridicula vel comicis similia in Graecis quoque tragoediis inveniuntur, quae e choris Dionysiacis in eam transierunt; multo etiam plura in vetere Romanorum tragoedia invenisse mihi videor. Idem sensisse videtur Gellius [6]), qui, cum versum illum ex Hesiona Naeviana citaret, ne comicam hanc fabulam fuisse lectores putarent, disertis verbis addidit: *in tragoedia Hesiona.* Sed redeo ad Naevium comicum. Veterem Atticorum comoediam eum imitatum, novum tamen secutum esse dixi. Quod ne falso intelligatur, pauca addam, quibus consilium poëtae illustretur. Multa ex Aristophane [7]) et Cratino [8]) Naevium sumsisse, ex ipsis ejus fragmentis apparet. At veteres illos comicos, ut qui res, quales tum Athenis erant, et in argumento et in expositione fabularum suarum sequerentur, imitari tantum, non exprimere Naevium potuisse Sole clarius est. Ridiculum enim mehercle et stolidum fuisset, Aristophaneas fabulas in Latinum sermonem conversas in scena edi Romana, spectatoribus Romanis. Sed ne ita quidem veterem Graecorum comoediam aemulari potuit, ut argumenta sua e rebus sua aetate gestis sumeret et ipsos cives, quos cavillaretur, nominatim in scena produceret eorumque habitum et proprios mores repraesentaret. Nefarium enim Romanae superbiae videbatur, Consules ceterosque magistratus et nobiles ab histrionibus infamia notatis in scena agi. Quae cum ita essent, ita sibi cavit Naevius,

---

1) *cf. Rost opuscul. Plautin.* I. *pag.* 21 *sqq.* 2) *fragm. trag.* 6. 3) *cf. Tunicul.* 3. 4) *Agitat.* 2. 5) *Hesion.* 1. 6) X. 25. 3. 7) *Triphall.* 1; *inc.* 16. 8) *inc.* 21.

ut argumenta fabularum e novae Graecorum comoediae scriptoribus sumeret, in expositione vero veterem comoediam imitaretur, itaque Graecos mores induceret, Romanos derideret. Ita fieri potuit, ut et Metellos et Scipionem deridendos spectatoribus propinaret et reipublicae civiumque perpetuam faceret mentionem. Quod ne sibi permitteret Plautus, Umbria vetabat patria. Inde explicatur, quod *satiram* et *ludum* a Naevio scriptos esse Festus [1]) et Cicero [2]) affirmant. Satiram enim, quam dicere proprie Romani solent, primus Ennius composuit eam, quae e variis poematis constabat [3]), eam vero, quae postea ita dicta est, primus Lucilius [4]). Satiram igitur Naevius scripsisse propterea tantum dici potest, quod satiricorum poëtarum vel veteris comoediae Atticae instar in comoediis suis aequalium vitia illustravit et summa cum acerbitate carpsit. Eadem causa est, cur Lucilius Eupolin, Cratinum, Aristophanem imitatus esse feratur [5]), et cur Diomedes [6]) etiam veterem comoediam cum Satira Romana componat: *satira dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius.* Eadem causa est, cur *fervere* Naevium Volcatius Sedigitus [7]) affirmet. Fervet enim in exagitandis civium suorum criminibus et vitiis, idque ita, ut omnium ordinum homines perstringat, cum Plautus infimorum tantum ordinum mores describat [8]). Ut brevis sim, ad praesentes rerum conditiones fabulas suas accommodat et componit, quemadmodum versus ille in Metellos conscriptus:

fato Metelli Romae fiunt Consules

docet, quem eodem anno, quo Consul Metellus erat, in scena editum fuisse supra [9]) demonstravi. Nescio, an haec causa fuerit, cur a Lucilio, qui Ennium, Cae-

---

1) *pag.* 257 *Muell.* 2) *Cato* VI, 20; *cf. pag.* 158 *sqq.* 3) *Diomed. pag.* 446 *Gaisf.* 4) *Diomed. l. l.*; *Weichert poet. Latin. reliq. pag.* 279. *not.* 7; *Munk de fabul. Atell. pag.* 16. 5) *Horat. Satir.* I. 4. 1. 6) *Diomed. pag.* 445 *Gaisf.* 7) *Apud Gellium* XV. 24; *quae mutarunt VV. DD., non curavi, sed versus dedi ex recensione Meyeri in Antholog. Latin.* I. *pag.* 50. 8) *cf. Schlegel lection. dramat.* I. *pag.* 360; *Baehr Roem. Literaturgeschichte* I. *pag.* 102. 9) *pag.* 18.

cilium, Terentium, Pacuvium, Attium in satiris suis vituperasse dicatur [1]), Naevius reprehensus non feratur. Simile enim utrique ingenium, ut Lucilium a Naevio notando dedita opera abstinuisse putare liceat. At factum quoque esse potest, ut poëtas Ennio antiquiores, quemadmodum multi ejus aetatis Romani, Lucilius non moraretur, itaque nec Livium, nec Naevium, nec Plautum respiceret. Etenim poëtarum illorum sermonem solum carpsit, cujus elegantiam ab Ennio incipere putabant. Diversissimae autem Romanorum in dijudicanda veterum comicorum praestantia sententiae fuerunt, ut, qui elegantiam tantum et Graecorum imitationes adamarent, Terentium, qui gravitatem, ingenium, vim suspicerent, veteres poëtas praeferrent. Volcatius autem ille Sedigitus cum incertos multos hac in re videret, certum quendam ordinem constituit, secundum quem comici Romani recenserentur, cujus de Naevio poëta honorificentissimum judicium eo libentius cum lectoribus communico, quo major huic viro, in his rebus exercitatissimo, fides habenda est. Tertiam autem post Caecilium et Plautum palmam Naevio defert, ea, puto, de causa, quod Naevii fabulae, in quibus multae res tractabantur, quae posterae aetati incognitae erant, non ita postea arridebant, ut Plauti Caeciliique fabulae, in quibus eae expositae res erant, quae posteram aeque ac priscam aetatem delectarent. Nam Naevium Caecilio Statio et Plauto cessisse, vix crediderim. Versus autem Sedigiti hi sunt:

multos incertos certare hanc rem vidimus,
palmam poëtae comico cui deferant.
Eum meo judicio errorem dissolvam tibi,
ut contra si quis sentiat, nil sentiat.
Caecilio palmam *Statio* do comico.
Plautus secundus facile exsuperat ceteros.
Dein *Naevius*, qui fervet, pretio in tertio est.
Si erit, quod quarto detur, dabitur *Licinio*.
Post insequi Licinium facio *Attilium*.
In sexto sequitur hos loco *Terentius*.
Turpilius septimum, *Trabea* octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio *Luscium*.
Decimum addo causa antiquitatis *Ennium*.

---

1) *Gellius* XVII. 21; *Servius ad Virgil. Aen.* XI. 601.

Luculentissimum hoc Sedigiti judicium cur *pravissimum imi subsellii Senatoris suffragium* Spangenbergius [1]) dicat, causam non comprehendo. Namque Sedigitum in recensendis antiquis comicis versatissimum fuisse, alter Gellii [2]) locus comprobat. Sed Spangenbergius non satis accurate Sedigiti verba inspexit, cum, quae de comico tantum Ennio grammaticus profert, de poëta omnino dicta esse putet.

1) *ad Ennii Annal. fragm. pag.* XXXII. 2) III. 3. 1.

Addenda.

ad fragm. bell. Pun. III. 1. pag. 56:

Versus hos Naevianos affert Cynthius quoque Cenetensis [1]), sed admodum mutilos: *Anchises vates fuit auctor divinandi. Ennius:*

doctusque Anchisa venis

et Naevius belli Punici libro III.:

témplo
Anchísa, sacra imménsa Penátium ordine ponúntur.

Prior versus falso Ennio adscribitur. Ad illustrandum enim eundem, quem interpretatur Cynthius, versum Virgilianum alius Virgilii interpres [2]) hos versus Naevianos offert, a grammatico, qui ne memoria quidem nec versus nec auctorem satis accurate tenebat, corruptos:

doctus
Anchisa, quem Venus ect.

ad fragm. bell. Pun. III. 4. pag. 60:

Versus apud lexicographum Vaticanum [3]) ita citatur: *ita a verbo decet hic decor, ris, quod etiam communis generis invenitur; unde Naevius:*

magnámque domum decorémque dítem duxeránt.

Melius Priscianus *vexerant.* Sententia enim haec est, Romanos ingentem illam septiremem, suis navibus alligatam, domum captam traxisse. Nam sic facere solebant [4]).

ad fragm. Pun. bell. inc. 11:

Aliter lexicographus Vaticanus [5]): *citrosus, a, um, i. e. crispus atque decorus; unde Naevius:*

. . . . puram éx auró vestémque citrósam.

ad fragm. Hesion. pag. 105:

Scribe:

enimvero gladi [6]) *lingula.*

---

1) *ad Virg. Aen.* II. 687.; *apud Angel. Maium: classici auctores e Vaticanis codicibus editi* VII. *pag.* 386. 2) *cf. fragm. Pun. bell.* I. 4. 3) *apud Angel. Maium l. l.* VIII. *pag.* 165. 4) *Dorville ad Charit. pag.* 370. *ed. Beck.* 5) *l. l.* VIII. *pag.* 116. 6) *Sverdsioeus: vindiciae praecepti Bentlejani de genitivo substantivorum in ius et ium desinentium pag.* 58 *sqq.*

ad fragm. Lycurg. 21. pag. 123:

Plauto locum adscribit lexicographus Vaticanus [1]): *item a clino per compositionem hoc diversiclinium, nii, i. e. ubi diverse conjunguntur* (forte *ubi diversae viae junguntur*), *quod aliter dicitur hoc heteroclinium, ii; unde Plautus:*

. . . . ignóti iteris sumus; túte scis
quae sint heteroclita . . . .

Alteram versuum partem idem alio loco [2]) affert: *heteroclitum, diversiclinium, ubi diversae sunt viae. Plautus:*

tute scis
quae sint heteroclita.

Versus Naeviani; nam quae sit in citandis scriptorum nominibus huic grammatico auctoritas, infra apparebit.

ad fragm. Aecontiz. 3. pag. 133:

Scribe: *Sulpiti* [3]).

ad fragm. Apell. 2. pag. 139:

Versus apud lexicographum quoque Vaticanum [4]) invenitur: *Naevius:*

cui cépe edendo-óculis alter próftuit.

ad fragm. Tarent. 1. pag. 171:

Versus a Vaticano lexicographo tribus locis citatur, primo [5]) ita: *adnictare, nutum cum oculis facere. Livius:*

alii adnictat, alium tenet, alium amat,

altero [6]): *componitur adnictitare, i. e. cum palpebris innuere, sicut facimus designando aliquid cum palpebris; unde Plautus:*

alii adnutat, alii adnucitat, aliud tenet, aliud amat.

tertio loco [7]): *nuto componitur adnuto, as, i. e. annuere vel assignare; unde Plautus:*

alii adnutat, alii adnicitat, aliud tenet, aliud amat.

ad fragm. com. inc. 4. pag. 189:

Eundem versum citat lexicographus Vaticanus [8]):

---

1) *l. l.* VIII. *pag.* 127. 2) *l. l.* VIII. *pag.* 194. 3) *Sverdsioeus l. l. pag.* 57. 4) *l. l.* VIII. *pag.* 133 *et* 134. 5) *l. l.* VIII. *pag.* 54. 6) *l. l.* VIII *pag.* 372. 7) *l. l.* VIII. *pag.* 376 *et* 377. 8) *l. l.* VIII. *pag.* 30.

hic aleo, nis, i. e. ille, qui assidue cum aleis ludit; unde Naevius:

pessimorum pessime, audax, ganeo, lustro, aleo.

ad fragm. com. inc. 5. pag. 190:

Versus invenitnr etiam apud lexicographum Vaticanum [1]): *appluda, sorbitiuncula ex paleis facta. Naevius:*

non hercle est hodie appluda nequior quam tu.

ad fragm. com. inc. 6. pag. 190:

Lexicographus Vaticanus [2]): *bubo, is, verbum neutrum, i. e. sonitum facere ad similitudinem novi musti et novae cerevisiae, quando spumescit in dolio. Naevius:*

bubit amphora

inquit.

ad fragm. com. inc. 8. pag. 191:

Versum Ennianum dicit lexicographus Vaticanus [3]): *notandum, quod coquus et pistor idem apud antiquos dicebantur. Ennius:*

coquus edit Neptunum, Cererem, Venerem.

Adde post fragm. com. inc. 34. pag. 200 haec:

35.

Excerpta ex Anonymo grammatico [4]): *dicimus hic Juppiter, hujus Jovis. Apud antiquos libros invenimus plenas declinationes. Legimus in Capro hic*

Jovis.

Etiam Naevius, Attius (cod. *Actius*), *Pacuvius, omnes isti utuntur hoc exemplo.*

36.

Lexicographus Vaticanus [5]): *depuire, verberare. Naevius:*

. . . . . *depuit me miseram ad necem.*

(37).

Lexicographus Vaticanus [6]): *ebriolus, a, um, i. e. aliquantum ebrius; unde Naevius:*

tristes atque ebrioli incedunt.

---

1) *l. l.* VIII. *pag.* 54. 2) *l. l.* VIII. *pag.* 67. 3) *l. l.* VIII. *pag.* 131. 4) *apud Ang. Maium l. l.* V. *pag.* 151. 5) *l. l.* VIII. *pag.* 175. 6) *l. l.* VIII. *pag.* 190.

Idem alio loco [1]): *ebriolus, a, um, i. e. aliquantum ebrius; unde Plautus:*

tristes atque ebrioli incedunt.

Versus Plautinus est ex Curculione [2]), in quo falso Bothius substituit *abscedunt.*

38.

Lexicographus Vaticanus [3]): *hic librarius, rii, i. e. ille qui libram tenet, qui aliter dicitur libripens, ensis, i. e. eo quod de manu ejus pendeat libra; unde Naevius:*

. *quí libram tenet; áppelletur líbripens.*

39.

Lexicographus Vaticanus [4]): *hic lustro, nis, i. e. ille, qui vagus est et nihil agit nisi fora lustrat; unde Naevius de quodam:*

. . *vagus est et lústro* [5]).

(40).

Falso idem lexicographus [6]) versum Livianum, a Festo quoque et Paulo Diacono [7]) Livio adscriptum, Naevio tribuit: *hinc etiam secundum quosdam dicimus neufrendes, inum, i. e. teneros infantes, qui hunc dolorem* (neuphresin) *saepius patiuntur. Alii autem dicunt nefrendes, infantes, quasi nondum frendentes, i. e. nondum dentibus concutientes; unde Naevius:*

. . . *quem ego néfrendem alui, lácteam immulgéns opem.*

Alio tamen loco [8]) recte: *hiç nefrens, dis, i. e. infans quasi nondum fredens, i. e. nondum dentibus concutiens; unde Livius:*

quem ego ect.

Sed innumera sunt hunc apud scriptorem et negligentiae et ignorantiae indicia; quid? quod, ut unum tantum exemplum addam, alio loco [9]) Caecilio tribuit, quorum auctorem alio loco [10]) se nescire fatetur. Ceterum bene Majus ex Isidoro multa hunc grammaticum sumsisse dicit; plura tamen, ut, quae invenisse mihi visus sum, eloquar, e Festo vel Paulo Diacono sumsit; namque ipsos scriptores priscos neutiquam perlustravit. Sed de hac re alio tempore.

1) *l. l.* VIII. *pag.* 73. 2) II. 3. 15. 3) *l. l.* VIII. *pag.* 310. 4) *l. l.* VIII. *pag.* 313. 5) *cf. fragm. com. inc.* 4. 6) *l. l.* VIII. *pag.* 378 *et* 379. 7) *pag.* 162 *et* 163 *Muell.* 8) *l. l.* VIII. *pag.* 314. 9) *l. l.* VIII. *pag.* 274. 10) *l. l.* VIII. *pag.* 510.






The borrower must return this item on or before the last date stamped below. If another user places a recall for this item, the borrower will be notified of the need for an earlier return.

*Non-receipt of overdue notices does **not** exempt the borrower from overdue fines.*

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 617-495-2413



Please handle with care.
Thank you for helping to preserve library collections at Harvard.

